14
37 6
14

14-26.h.1

14-26.g.1

Digitized by Google



Ant. Gherardi delin. A Clowet ſculp

Google

XXIII.7.4



Digitized by Google

PHILOSOPHICAE MARGARITAE

S E V

T H E S E S

EX VNIVERSA DOCTRINA ARISTOTELICA

Q V A S

FAVSTISSIMIS AVSPICIIS

S E R E N I S S I M A E

M A R G A R I T A E

MEDICEAE FARNESIAE

MARCVS AVRELIVS MASSA

COLLEGII NOBILIVM PARMENSIS


C O N V I C T O R

PVBLICAE DISPVTATIONI EXPONIT.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARMAE IN COLLEGIO NOBILIVM ANNO
MCDLXVII. MENSE DIE HORA

SVPERIORVM PERMISSV.



SERENISSIMAE

MARGARITAE

MEDICEAE FARNESIAE

PARMAE, ET PLACENTIAE

DVCI.

MARCVS AVRELIVS MASSA FELICITATEM.

HAS Margaritas, non tam Naturę, quam Sapientiæ manu laboratas, audeo, SERENISSIMA PRINCEPS, in Tuum deſerre Sinum; cum ſint & Nomine, & Obſequio Tibi debitæ. Id etiam exigit non minus Tua erga me, quam SERENISSIMAE CLAVDIAE ARCHIDVCIS, Amitæ, Tuæ erga meos Patruos Humanitas plane Regia. Educatus ego in hoc Parmenſi Nobilium Adoleſcentum Collegio; etſi plura didici ex Ariſtotelis Lycęo; neſcio tamen quid altioris Spiritus hauſi ex REGIA TVA: dum inter Beneficia

Digitized by Google

Patrocinij Tui veluti quodam rore imbutus è Cœlo, peperi Margaritas, quæ SERENISSIMAE MARGARITAE non diſplicerent. Mei quoque Patrui Andreas Epiſcopus Gallipolitanus, & Abbas Hyacinthus ſenſere, quam Pretioſus fuerit SERENISSIMAE CLAVDIAE Fauor. Ille decem annorum ſpatio grauiſſimis negotijs admotus, Legatuſque ad PHILIPPVM QVARTVM CATHOLICVM REGEM; Hic Romę per annos ſeptemdecim eiuſdem iuſſu moratus, vt SERENISSIMORVM PRINCIPVM negotia apud VRBANVM OCTAVVM, & INNOCENTIVM DECIMVM SVMMOS PONTIFICES ageret: quod feliciſſimis auſpicijs ab Vtroque pręſtitum fuit.

Patere igitur, SERENISSIMA vt Ego tot Nominibus Tibi deuinctus, haſce Philoſophicas Margaritas in conſpectum REGIAE MARGARITAE ſupplex producam. Et ſi minus par meritis pretium reſpondebit; TVAE SPLENDOR BENEVOLENTIAE pro pretio erit.

PRO-

PROLVSIO.

DVM Margaritas expono ſpectante, & audiente, *TE SERENISSIMA DVX*, par eſſet vt Ingenium, & lingua mihi eiuſmodi in eſſent, quæ Margaritas pretio, & candore imitarentur. Vel gemmeus, vel, aureus eſſe anulus debet, quo Gemma renidet. Verum hæc ſit Tua vis, & efficacitas, vt ea quæ lutum redolent, ac tenuem Naturæ conatum euadant prodigia, vel certè non indecora tanti ſpectacula ſplendoris. Non ſum ignarus eo in Theatro me dicere, ac diſputare, in quo Sol ipſe fortaſſe non auderet in Margaritas erudire tentamenta Naturæ. Sed illud tamen mihi conſtat aliquando plus licere Principi, quam Soli. Sol etenim Elementa, Princeps ingenia nobilitat.

GRATIARVM ACTIO.

DEpromptas ex Ariſtotelicæ Doctrinæ Mari Margaritas expoſui. Sed veræ Margaritæ, quæ Sapientiam decent, Gratiæ ſunt. Nec in tuo, *SERENISSIMA DVX*, conſpectu, ac famulatu apparere debent niſi Gratiæ.

EX ARISTOTELICI MARIS LOGICO SINV
PRIMA MARGARITA
EX LOGICIS.

1 PHILOSOPHIA, nata ex admiratione, quod paterent effectus, ignotis cauſis, ex Platone, & Ariſt. eſt ſcientia Indagatrix rerum magni momenti per ſuas cauſas, in ordine ad habendam humanam fœlicitatem: quæ ex 10. Eth. à cap. 7. conſiſtit in actione virtutis, & contemplatione veritatis: vnde rectè tripartitur in Rationalem, ſeu Logicam; Naturalem, quæ complectitur Mathematicam, Phyſicam, & Metaphyſicam; & in Moralem, ſeu Ethicam: per Rationalem humana Mens, ſeu Ratio reflectens ſupra ſuos actus, illos dirigit, & accommodat in apta inſtrumenta pro veritate adipiſcenda per Naturales, & inſtruitur homo per Ethicam ad dirigendas operationes voluntatis pro Honeſtate in ſe habenda, & humanis officijs implendis circa alios, tam vt ciuis priuatus, quam vt Magiſtratum gerens: *De ſcientia, & eius obiecto.*

2 Quęlibet ſcientia nititur ſuis principijs incomplexis, & complexis, ideſt propoſitionibus indemoſtrabilibus, & primis; quæ proinde à ſcientia ſupponuntur, non probantur; Rectè enim Ariſt. 1. phyſ. cap. 2. ait non eſſe Geometræ ſoluere fallaciam Antiphontis, negantis definitionem circuli; neque Phyſici conuincere negantes principium mobile, contra quos non vult diſputari: & patet, quia non habet ſcientia medium terminum, quo probet principia; alioquin hęc non eſſent prima. Puto autem in qualibet ſcientia omnem quæſtionem reſoluendam ad aliquod ex his tribus principijs, quorum primum eſt. Propoſitio, cui, penetratis terminis, nullus intellectus ſanus refragari poteſt; & hæc dicitur principium euidens; vel metaphyſicum per ſe notum; vel phyſicum per ſenſus patens. Secundum eſt

Propoſitio, cui, perceptis terminis, plures aſſentiunt, non pauci diſſentiunt: vt ſpectat ad rationem amicitiæ; quod leuis offenſa tolerari poſſit inter amicos; & dicitur principium ineuidens, & probabile: ad vnum enim tale ſæpe eſt deueniendum, vel procedendum in infinitum. Tertium eſt Auctoritas Sapientum, & explicatio vocabulorum, ad quam controuerſias pleraſque in ſcholis reſolui, fortaſſe non malè quis dixit: nulla enim res in quæſtionem venit, niſi ſub inadæquatis noſtris conceptibus, verborum inuoluero non ſatis explicitis.

3 Ex his Principijs eſt certitudo, & Euidentia, Incertitudo, & Probabilitas, ſeu Ineuidentia. Euidentia hæc mediata, ſeu habita ex medio, alia eſt metaphyſica, cui nulla poteſt vnquam ſubeſſe falſitas: alia phyſica, cui per abſolutam potentiam aliquando poteſt falſum ſubeſſe; nunquam tamen ſpectato ordine naturæ, & illius principio ex ijs noto, quæ ſenſibus ſubiacent: Alia moralis ex Auctoritate hominum, quoties omnes concurrunt in vnam opinionem: vt: quod detur Roma: cenſetur enim humanam ſpeciem non falli: & fundatur vt plurimum in phyſica euidentia plurimorum. Quælibet euidentia ad aſſenſum ſui, intellectum pro vi ſua cogit; ſecus Ineuidentia.

4 Hinc Scientia, Opinio, & Fides. Scientia enim actualis eſt: Cognitio certa, & euidens, diſcurſiua. Opinio eſt: cognitio ineuidens, nixa aliqua ratione probabili. Fides fulcitur auctoritate Dicentis, quæ eſt illius ſapientia, qua non fallitur, & Bonitas qua non fallit. Secluſa formidine actuali de oppoſito, poſſunt iſti actus ſimul eſſe in eodem intellectu de eodem obiecto ex diuerſo motiuo formali, in ordine ad quod intrinſecè ſpecificatur.

5 Datur ſcientia actualis, ſtudio, & induſtria de nouo acquiſita, non mera Reminiſcentia. Ex actibus ſcientificis iteratis gignitur Habitus, ſeu Habitualis ſcientia dans intellectui facilitatem ad ſimiles actus, per quos eſt genitus. Eſt autem Habitus aggregatio ſpecierum, quas actus reliquerunt, confirmatas, & ordinatas ad vnum obiectum formale Attributionis adæquatum. Hoc licet multiplex, vnitatem tamen habet ex vna ratione formali, ſub qua conſideratur, & definitur vnica definitione; quæ inter principia ſcientiarum indemoſtrabilia, dicitur potiſſimum; ſub quo vno vnitatem ſcientiæ vnius ſpecificam recipit prædicta aggregatio ſpecierum. Obiectum porrò totalis ſcientiæ complexum ex Ariſtot. eſt ens reale neceſſarium, vniuerſale, per ſe, vnum: & ſecundum connexionem prædicati cum ſubiecto, ingenerabile, & incorruptibile.

Diui-

6 Diuiditur ſcientia tam Actualis,quam Habitualis, in Speculatiuam, & Practicam. Speculatiua ſiſtit in contemplatione ſui obiecti, & veritatis; vt facit Phyſica, Mathematica, & Metaphyſica. Practica verò extenditur ad opus, & ad praxim, quæ iuxta communiorem loquendi modum, eſt humana operatio dirigibilis à cognoſcente ex vi cognitionis ad illam relatæ. Practica alia eſt Rationalis, ſeu Logica directiua intellectus ad veritatem aſſequendam; Alia Actiua, ſeu Moralis directiua voluntatis ad Honeſtatem. Artes dicuntur factiuæ, & dirigunt externas potentias ad commoda humanæ vitæ. Habent ſpecificam vnitatem Habitus practici in ordine ad vnum finem, ad quem, de ſe ordinabiles, ordinantur actu ab Inuentoribus; vt ligna, & lapides de ſe apta ad finem commodæ habitationis, actu ordinantur ſitualiter ab Architecto, vt conſtituant vnam domum.

7 Logica Artificialis eſt habitus ſcientificus inſtrumentalis, ſeu aggregatio præceptorum formalium, ac regularum infallibilium de recto modo obiectiuo diſſerendi; ſeu definiendi, diuidendi, & ſyllogizandi. Simpliciter eſt practica, tota ordinata ad praxim, ſeu directionem operationis intellectus, habens actus cum ſenſu practico, qui exprimitur per verbum, debet, & per modum dictaminis ſaltem virtualis, cum enim dicitur: Definitio conſtat genere, & differentia: eſt hic ſenſus, vt eſt logicus: Definitio debet conſtare genere, & differentia. Quatenus autem docet has regulas, dicitur Docens: Vtens vero quatenus illis vtitur, aut in propria materia eliciens actus rectos iiſdem ſaltem exercitè cognitis conformes; vel dirigit habitus alios ſcientificos, vt certò, & infallibiliter circa propria obiecta eliciant definitionem, diuiſionem, & ſyllogiſmos bonos: vnde imperturbabilis fiat ſciens, tam de veritate ſui ſcibilis, quam de modo, quo circa illud ſuis actibus verſatur. Quod cum intellectus noſter, vt eſt imperfectus, aſſequi perfectè non poſſit ſine Logica artificiali, rectè videtur hæc ſimpliciter neceſſaria ad perfectè acquirendas alias ſcientias, pro quibus eſt inuenta, & ex induſtria acquiſita ab intellectu reflectente ſupra ſuos actus, & modos operandi in diuerſis materijs bonos, & prauos. *Ex Proleg. Logicæ.*

8 Quare obiectum Logicæ adæquatum Attributionis, & conſiderationis, de quo ſtatuimus triplicem modum rectè diſſerendi, Definitionem, Diuiſionem, & ſyllogiſmum in communi, quatenus talem, ideſt inſtrumentaliter directiuum operationum intellectus, vt euadant in particulari recti modi ſciendi formales, ſcilicet rectæ Definitiones, Diuiſiones, & ſyl-

logiſmi. Habet enim hoc obiectum vnitatem ſpecificatiuá ſciẽtiæ logicæ inſtrumentalis à formali ratione inſtrumenti; ſub qua vna definitur: Oratio ignoti inſtrumentaliter manifeſtatiua.

9 Operationes ſic à Logica dirigibiles, ſeu factibiles cum conformitate ad Logica præcepta, Apprehenſio ſcilicet, Iudicium, & Diſcurſus, dicuntur obiectum, in quo, ſeu ſubiectum operationis logici inſtrumenti ſcientifici.

10 Porrò definitio eſt: Oratio explicans eſſentiam rei per genus proximum, ſeu prædicatum, quo res cum non definitis eſſentialiter conuenit: & per differentiam vltimam, qua ab omni non definito eſſentialiter diſconuenit: eſt enim rebus intrinſeca; & neceſſaria conuenientia in eſſentialibus; vnde eſt, quod potiſſimè per comparationem cum pluribus, vt dicitur 1. Top. cap. 14. inuenitur rei Definitio; alia verò eſt quidditatiua per eſſentiâlia, alia deſcriptiua per proprietates habita.

Ex li. prior. & poſter.

11 Diuiſio eſt: Oratio totum in ſuas partes diſtribuens: ita vt omnes ſimul, nulla ſeorſim, adæquent illud; & vt membra diuidentia ſint oppoſita, abſque eo, quod vnum formaliter includatur in altero. Totum autem diuiſum, vel eſt poteſtatiuum in partes ſubiectas, vt genus in ſpecies: vel totum eſſentiales in partes eſſentiales metaphyſicas; vt homo in animal, & rationale, vel totum phyſicum in partes phyſicas, & realiter diſtinctas; vel eſſentiales, vt homo in animam, & corpus, vel integrantes vt corpus in ſua membra: vel eſt totum morale in partes morales, vt regnum in magiſtratus &c.

12 Syllogiſmus eſt: Oratio, in qua quibuſdam poſitis, alterum quid à poſitis, neceſsè eſt ſequi, eo quod hæc ſint. Quadrifariam diuiditur in Demonſtratiuum, Dialecticum, ſeu Topicum, Pſeudographum, ſeu Paralogiſmum, & Sophiſticum; ratione quadruplicis materiæ præmiſſarum, neceſſariæ, & probabilis, verè, & apparenter. Ratione verò formæ ſyllogiſticæ; quæ eſt diſpoſitio medij cum extremis in prœmiſſis; alius eſt ſyllogiſmus in prima figura, vbi ſubiectatur medium in maiori, & prædicatur in minori: alius in ſecunda, vbi in vtraque prædicatur: alius in tertia; in qua vtrobique ſubijcitur. Quarta Galeni cenſetur inutilis, in qua prædicatur in maiori, ſubijcitur in minori, ordine inuerſo à prima.

13 Principia regulatiua ſyllogiſmi pro concluſione affirmatiua ſunt duo. Primum: Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe: quod etiam in Diuinis, ſumptum cum ſua limitatione de identitate perſonali, & eſſentiali poteſt locum habere. Alte-

Alterum eſt: Dici de omni: Ideſt quod vniuerſaliter dicitur de ſubiecto abſolutè ſupponente, dicitur de quocumq. contento ſub illo. Item duo pro negatiua. Primum eſt: Quorũ vnum eſt idem cum tertio, cum quo alterũ non eſt idem, nõ poſſunt eſſe idem inter ſe. Alterum eſt: Dici de Nullo: ideſt quod vniuerſaliter negatur de ſubiecto, negari debet de quocumq; contento ſub illo.

14 Demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire; conſtans ex præmiſſis veris, neceſſarijs, certis, & euidentibus, rite diſpoſitis, & cauſis concluſionis; vel eſſendi, & dicitur Demonſtratio à priori, ſeu propter quid, vel cognoſcendi, & dicitur à poſteriori, & quia. Ab effectu ad cauſam eſſendi; ab hac iterum ad effectum demonſtrandum, non inutilis eſt circulus, ſeu progreſſus demonſtratiuus. Euidentia mediata, ſeu relatio actus ad obiectum euidens, ideſt cogens intellectum benè diſpoſitum ad eliciendum actum, vt obiectum illuminatum cogit viſum non malè affectum ad viſionem, eſt de eſſentia conſtitutiua concluſionis demonſtratiuæ ex qua ſequitur certitudo metaphyſica proprietas, ideſt prædicatum appretiatiuum obiecti, per quod formaliter intellectus redditur contemptor cuiuſcumque alterius motiui naturalis, quod poſſit mouere formidinem de oppoſito. Concluſione tamen ipſa ſunt, & certiores, & euidentiores præmiſſæ, vtpotè per ſe notæ, & immediatæ, quibus firmius adhæret intellectus: iuxta illud Ariſt. propter quod vnumquodq. tale, & illud magis; quod verũ eſt, quoties cauſa, & cauſatũ apta ſunt recipere vnam formam ſuſceptiuam magis, & minus, quam ſemper cauſa participat magis, vt indepẽdentè ab effectu.

15 Syllogiſmus Topicus parit opinionem, ſeu concluſionem ineuidentem, deductam ex altera præmiſſarum probabili, vel aſſumpta vt tali; non cogente intellectum ad illum actum, habentem formidinem radicalem, ſeu incertitudinem formalem ex ſuo motiuo. Paralogiſmus, ementita Demonſtratio, parit errorem, falſam ſcilicet in modum ſcientiæ exiſtimationem, in particulari materia alicuius ſcientiæ ex præmiſſis veris, & neceſſarijs apparenter: & paralogizans putat ſe ſcire, vt ſomnians cenſet ſe vigilare. Sophiſticus, ementiens topicum, gignit deceptionem, conſtans ex præmiſſis apparenter probabilibus, vel ex modo, aut figura peccante contra regulas boni ſyllogiſmi, non diſtribuens medium, vel varians ſuppoſitiones terminorum, & affectiones.

16 Omnis diſciplina diſcurſiua initio poſteriorũ fit ex præexiſtente cognitione: quare tria præcognita ſtatuuntur, Datũ, ſeu Subie-

Digitized by Google

Subiectum; Quæſitum, ſeu Prędicatum; & Dignitas, ſeu Principia, & Præmiſſæ, per quas demonſtretur prædicatum de ſubiecto; de quibus debet præcedere aliqua ſaltem ex his quatuor prę. cognitionibus: Quid Nominis; Quod res ſit; Quid ſit; Qualis ſit. De ſubiecto præcognoſci ſolet Quid nominis, & an ſit, ſaltem poſſibile: de Prædicato, Quid nominis, & Quid rei; De Præmiſſis, Quid ſignificent termini, & an veræ ſint.

17 Præmiſſæ ſunt de eſſentia ſyllogiſmi, vt hic eſt inſtrumentum ſciendi; & concluſio eſt quidam illius effectus: vt verò eſt artefactum, ſeu Diſcurſus ex Arte, tam præmiſſæ, quam concluſio ſunt de eſſentia; quia ſimul ſunt: Oratio, in qua quibuſdam poſitis, &c. iuxta datam definitionem ſyllogiſmi.

18 Sed eſſentia ſyllogiſmi, vt eſt Diſcurſus formalis, ſeu tertia operatio Intellectus diſtincta à ſecunda, & ſimplici Iudicio, eſt ſola concluſio; quia hæc ſola eſt progreſſus, ſeu diſcurſus mentis ab vno noto ad aliud ignotum: & eſt aſſenſus, vel diſſenſus circa vnum obiectum ex viaſſenſus, vel diſſenſus præcedentis circa aliud: Habet enim ſupra rationem ſimplicis enunciationis, quod indiuiſibiliter iudicet rem eſſe, vel non eſſe, & quod ita ſit, vel non ſit, propter aliud, ideſt propter identitatem, aut connexionem in præmiſſis cum tertio, vel amborum extremorum ſuorum; vel vnius, & non alterius, quæ eſt obiectum prę. miſsarum, quod, exercitè reflectens ſupra bonitatem illationis, attingit, vt motiuum proprij obiecti, ſcilicet identitatis, aut connexionis eorumdem extremorum inter ſe, affirmandæ, vel negādæ. Quare vnicus actus hoc totū exprimens, qualis eſt hic: quia Petrus eſt rationalis, eſt riſibilis; rectè dicitur diſcurſus virtualis.

19 Hinc conceſſis, ritè diſpoſitis præmiſſis intellectus neceſſitatur ad exercitium, & ſpeciem actus: vnde, niſi per accidens impediatur, neceſſariò ęlicit aſſenſum concluſionis, ſeu iudicium formale illatiuum.

Ex lib. Peri-Herm. de ſigno.

20 Ad capeſsendas ſcientias vtimur inter nos vocibus, vt ſignis ex placito poſitis. Signum autem in communi eſt: id quod formaliter aptum eſt repræſentare aliud à ſe potentiæ cognoſcitiuæ ob peculiarem connexionem, quam habet cum illo, vel natura ſua intrinſecam; & eſt ſignum naturale, vt effectus ſuæ cauſæ, vel extrinſecam ab in inſtitutione libera hominum, & eſt ſignum ad placitum, vt vox humana: cuius materiale, nempe articulatus ſonus, per illam inſtitutionem moraliter perſeuerantem, habet vltimò formaliter, & connecti cum obiecto, & illud poſſe repræſentare, ſeu præſens facere potentiæ cognoſcitiuæ;

ſcitiuæ; in quo differt ſignum à cauſa, quæ rem præſentem facit rerum communitati, extrahens, illam ex nihilo ſui: quam rationem potius cauſæ, quam ſigna, dicuntur participare argumentum, & præmiſſæ reſpectu concluſionis.

21 Voces immediatè, & primariò ſignificant res, & primos conceptus inadæquatos ab Auctoribus linguæ ad impoſitionem nominis, de rebus ipſis præhabitos, quibus formaliter res illæ conſtituuntur obiectum ſignificabile hoc, vel illo nomine: neque enim rebus poteſt nomen imponi, niſi præconceptis. At hic à nobis viatoribus non poſſunt res concipi, niſi conceptibus inadæquatis, & imperfectis; neq; niſi pluribus nominibus exprimi poſſunt. *De vocibus*

22 Conceptus verò proprij loquentis arguuntur ab Audiente ex vocibus, tamquàm ex argumento, non cognoſcuntur, tamquam ex ſigno: ex pacto enim quod quiſq; diſcens idioma, implicitè facit cum Inſtitutoribus linguæ, tenetur ex veracitate, & Fidelitate pro humano commercio ſeruando, loquens adhibere vocem, ſimul cum conceptu de re ſimilem illi; quem Inſtitutores habuerunt; cum rei tale nomen indiderunt; & ſenſibilem vocem vicariam, loco rei, & ſui conceptus inadæquati de illa, immediatè inſenſibilis, ſubrogarunt, vt Audiens formaret ſimiles quoque cenceptus de eadem re; arguens quoque quid loquens intus ſentiat ex voce, quæ foris ſonat.

23 Conceptus qui rebus expreſſis conformantur; veri; qui difformantur, falſi dicuntur. Eſt enim Veritas formalis quædam conformitas cognitionis in repræſentando cum obiecto in eſſendo: falſitas è contra poſitiua difformitas. Identificatur adæquatè cum ſuo actu, extrinſecè connotato obiecto tale, quale repræſentatur: Non eſt tamen actui, qui dicitur contingenter verus, eſſentialis proprietas metaphyſica: nam ratione obiecti extrinſeci contingentis, poteſt illi aliquando cenuenire ad modum quinti prædicabilis, vt actus tranſeat de vero in falſum, & è contra, ſi tale obiectum repræſentetur in tempore diuiſibiliter. *De veritate.*

24 Veritas, et Falſitas reperitur non ſolum in Iudicio, et Diſcurſu; ſed etiam in ſimplici Apprehenſione complexa, licet minus propriè. Incomplexa verò ſemper eſt cum veritate, nunquam cum falſitate, ſi attingit obiectum.

25 Ex propoſitionibus contradictorijs de futuro contingēre, tam abſoluto, quam conditionato, altera eſt determinatè vera altera falſa; inducens neceſſitatem nobis cnnſequentem, & ex ſuppoſitione; non verò antecedentem, & abſolutè.

EX

Digitized by Google

EX PHYSICO SINV SECVNDA MARGARITA

EX 8. PHYSIC.

Ex 8. Phyſic.

1 PHYSICA eſt ſcientia ſimpliciter ſpeculatiua; cuius obiectum adæquatum attributionis eſt corpus completum naturale; de quo conſiderat principia intrinſeca in fieri, et in facto eſſe, ſpecies, proprietates, effectus, & cauſas extrinſecas.

2 Triplex autem eſt via in phyſicis philoſophandi circa eam viciſſitudinem, quæ cernitur, alterationum in accidentibus, et generationum, et corruptionum in ſubſtantijs. Prima eſt Democriti, in qua negatur omnis vera generatio, et corruptio de nouo: et aſſeritur ſolum ex multiplici, et vario concurſu athomorum, ſeu corpuſculorum, natura ſua diuerſorum, ingenerabilium, et incorrupribilium, nouum corpus componi, et conſeruari; quatenus per vim ſympaticam amica trahuntur, et per antipaticam inimica pelluntur: et idem ex eorumdem diſſolutione, diſſolui. Sed hæc vix videri poterunt Poetæ veriſimilia, ne dum vera Philoſopho; cum non eſt audendi quælibet æqua poteſtas; Nam quę vis continet ſimul tam diuerſa cõtraria, et inimica in toto etherogeneo cum certis qualitatibus, quas mordicus retinet, et deperditas ab intrinſeco reparat? cur non viuit truncus reciſus iterum in terram defoſſus, ad vitam, vt prius, trahens ſympaticas athomos? cur emoritur arbor in ipſa radice? at ſi diuerſæ athomi tam diuerſos præſtant effectus, et tantam diuerſitatem inferunt in Naturam; iam aſſero ipſos Democritiſtas totos, quanti ſunt, aggregationem eſſe athomorum. Altera via eſt Empedoclis; in qua admittuntur quatuor vulgata elementa, vt ſimplices ſubſtantiæ ingenerabiles, et incorruptibiles, tamquam materia generationum corporum mixtorum, quæ ſolæ de nouo fiant. Poſitiuè placeret, ſi phyſicè probaretur ingenerabilitas, et incorruptibilitas elementorum, quæ ſenſus docet æquè, ac mixta, produci, et corrumpi; vnde dicuntur ſine fundamento ſubſtantiæ ſimplices. Tertia via communior eſt Ariſtotelis: in qua ponuntur omnia ſublunaria generabilia naturaliter, et corruptibilia, eſſe compoſita ex duplici ſubſtantia ſimplici; quarũ vna dicitur materia communis,

manens

manens in genito, quæ fuerat in corrupto; altera forma, conſtituens totum compoſitum in peculiari ſpecie entis: Hęc ſola de nouo producitur, & corrumpitur dependenter à priori, vnde agens naturale producens, & corrumpens non dicitur creare, & annihilare, vt non dicitur Architectus domum creare, aut annihilare eò quia ex præſuppoſito ſubiecto lapidum, calcis, lignorum &c. eam conſtruit, & in eadem diſſoluit. Quarta etiam quædam via eſt Recentioribus, in qua res phyſicæ aſſeruntur ſubſtantiæ ſimplices, penitus corrumpi, & generari; non tamen creari, quia præcedit generationi vnius, corruptio alterius, vt terminus à quo; neque annihilari, quia corruptionem ſequitur Generatio, terminus ad quem, & ſit quæſtio de nomine: Omnis autem alteratio corruptiua ſecundum illos præit, inſtar Prodromi, ad parandum locum ſubſtantiæ. Ego verò, ne fallar, nouam hanc non ingredior viam à veteri declinans, ſed libens gradior in trita Ariſtotelica.

3 Corporis igitur Naturalis in fieri, ſeu mutationis naturalis principia intrinſeca ſunt tria, Materia, Forma, Priuatio: in facto eſſe duo: Materia, & Forma. Deſcribuntur in communi analogicè ex tex. 42. Quæ neque ex alijs, neque ex alterutris, *vt ex elementis*, ſed ex his omnia compoſita naturalia, *vel vt ex parte elementari, vel vt ex termino à quo.* *Ex 1. phyſ. de Principijs.*

4 Materia prima in particulari definitur ſubiectum primum vniuſcuiuſque, ex quo, cum inſit, fit aliquid, non ſecundum accidens. Forma verò dicitur Ratio ipſius quod quid erat eſſe rei: ideſt ſubſtantiæ ſunt incompletæ, ſimplices, inuicem ordinatæ ad faciendum vnum per ſe; Forma quidem, vt pars determinatiua, & actus perfectiuus; Materia verò, vt pars determinabilis, & potentia ſubſtantialiter perfectibilis: Qui reſpectus potentiæ ad formas ſubſtantiales, vt primus, eſt de eſſentia metaphyſica materiæ, à quo fluit, vt proprietas, ſecundarius reſpectus eiuſdem ad accidentales. Corpus eſt incompletum, vt quanta eſt, ſine vlla ſubſtantiali forma Corporeitatis ſibi coëua. *De Materia & Forma.*

5 Exiſtentia tam materiæ, quam formæ phyſicè philoſophanti, non metaphyſicè, euidens eſt. Accidentia enim, vt ſunt phyſica ſubſtantiæ indicia, ea quæ remanent in qualibet mutatione ſubſtantiali; in qua res vna amittit eſſe ſimpliciter, & altera incipit ſimpliciter eſſe; oſtendunt manere ſubſtantiam materialem, proprium ſubiectum cui inhærent: quæ verò de nouo fiunt, docent ſubſtantiam formalem produci, principium

illorum exigitiuum, ac reparatiuum, ſi deperdantur. Sed innoteſcit etiam lumine naturæ exiſtentia Materiæ ex communi conſenſu Sapientum, et Nationum. Sapientes enim omnes, vt teſtantur Coninb. & Piccol. de plac. Philoſ. ſub diuerſis nominibus: admiſerunt principium primum, vel vnum, vel multiplex intrinſecum, ex quo gignerentur cætera omnia, vt apparent, inter ſe notabiliter diuerſa. Et Nationes religioſè ſeruantes cineres ſuorum, oſtendunt lumine naturæ ſibi patere aliquid manere in corrupto, quod fuerat in genito: quem vnum laudabilem reddit ſuo exemplo Sancta Romana Eccleſia in colendis Sanctorum reliquijs. At euidens veritas eſt in illo obiecto, quod cogit intellectum ad aſſenſum, vel in quod Intellectus ipſe quadam veluti naturali inclinatione tendit, licet ipſius veritatis rationem non percipiat, ſicuti, ait D.Thom. 1. phyſ. lect. 10. lit. C. res cognitione carentes mouentur ad ſuos fines abſque ratione, et ceu lapis fertur in centrum, vt alibi loquitur: Singulæ tamen exiſtentia propria.

6 Materia appetitum habet innatum, vt ad ſui naturale perfectiuum, ad omnes formas, etiam corruptas: cui tamen appetitui ſatisfit naturaliter vnica ſubſtantiali forma totali, et vltima; ita quoque contenta eſt forma vnica materia adæquata. Quare neque vna Materia ſub pluribus formis totalibus diſparatis: neque vna totalis forma in pluribus materijs adæquatis numero diſtinctis, eſſe poſſunt naturaliter; licet ſupernaturaliter vtrumque poſſibile ſit. Omnis materialis forma pendet à materia, vt à vera cauſa ſuſtentante, de cuius potentia educitur tota; materia verò neque à priori, vt à cauſa, neque à poſteriori, vt ab effectu pendet in ſuo exiſtere ab vlla ſubſtantiali forma: qua proinde omni ſpoliata materia ſupernaturaliter conſeruaretur à Deo eodem influxu, quo nunc: naturaliter autem nunquam ſic ſpoliatur; neque vmquam in vlla generatione naturali fit reſolutio vſque ad nudam materiam; nam ipſe ſenſus docet manere plura accidentia.

De priuatione. 7 Negatio formæ in materia, vt ſubiecto apto eam recipere, dicitur Priuatio: quæ eſt principium mutationis acquiſitiuæ, vt terminus à quo; eam principians vbi primò non eſt in tali ſubiecto; in quo immediatè antea erat, et ibi primò eſt forma oppoſita: quia tunc ſolum primò ſubiectum aliter ſe habet, ac prius.

De compoſito. 8 Ex materia, et forma ſubſtantiali vnitis, ſeu ſe habentibus ad inuicem per modum actus, et potentię cum intima, præſentia

et mutua

& mutua dependentia in eſſe, et operari, eſſentialiter conſtituitur in ſpecie, et indiuiduo compoſitum ſubſtantiale; ideſt hoc vnum adęquatum principium per ſe actiuum, et paſſiuum certarum operationum, proprietatum minimè diſtinctum in re ab his ſuis partibus, et cauſis intrinſecis, ſimul, et in recto acceptis; alioquin, vel hoc tertium diſtinctum ſolum eſſet tota eſſentia compoſiti, vel compoſitum eſſet complexum ex hoc tertio, et illis partibus; de quo complexo erit eadem difficultas, et quæſtio; an diſtinguatur à partibus ſimul ſumptis.

9 Vnio autem formalis nihil phyſicè ſuperaddit entitatibus materiæ, et formæ proportionatis, dicto modo coexiſtentibus, ſed ſolum conceptum metaphyſicum relationis mutuæ Actus, et Potentiæ ſe ſibi mutuò actu communicantium: ita ſeipſis partes ligni, aut eboris ex arte ſecundum proportionem debitam elaboratæ ad caudam, vt aiunt, hirundinis, vniuntur, præciſè per hoc, quod inuicem interſeruntur, et coaptantur localiter contiguæ. Vnde ſepè Ariſt. exemplo artefactorum vtitur ad explicandas has res phyſicas. *De vnione.* *Ex 2. phyſ. de Natura, & Arte.*

10 In hoc compoſito ſubſtantiali tam materia, quam forma: etiam Rationalis, et cęleſtis; ideſt tam principium actiuum, quam paſſiuum dicitur, et eſt Natura quæ definitur: Principium eſt cauſa motus, et quietis in eo, in quo eſt primò, et per ſe. Ars Naturæ imitatrix; quæ dicitur 6. Eth. cap. 3. Recta ratio factibilium: poteſt applicando actiua paſſiuis efficere viribus eiuſdem Naturæ plures effectus naturales, vt Alchymia verum aurum, redigens materiam ad temperiem debitam formæ auri.

11 Cauſa autem in communi rectè deſcribitur: principium per ſe influens eſſe in aliud ab intrinſeco defectibile. Diuiditur ſufficienter quadrifariam, in Materialem; Formalem, cauſas intrinſecas prædictas; et Efficientem, ac Finalem extrinſecas. Materialis eſt id, ex quo fit aliquid, cum inſit, vt potentia ſubiectiua, et pars perfectibilis, ac determinabilis. Formalis vero, vt actus actuans, et pars perfectiua dans eſſe rei in determinata ſpecie entis. Efficiens à Piloſopho dicitur: inde vnde, vel à quo principium motus, aut quietis: Finalis eſt id cuius gratia aliquid fit. Ineſt cauſis creatis, quæ dicuntur ſecundæ, vera virtus cauſandi, quæ eſt ipſa entitas cauſæ, vt tranſcendentaliter relata ad effectus à ſe factibiles; cum quorum poſſibilitate tam in communi, quam in particulari, habet cauſa, vt cauſa, eſſentialem connexionem; vt implicante effectû, implicet *De Cauſis.* *De cõnexione cauſæ cũ effectu.*

etiam cauſa, niſi velis dicere manere virtutem productiuam chymeræ.

De reproductione effectus.

12 Nulla cauſa ſibi decernit ſeriem determinatam indiuiduorum ex effectibus ſimilibus, vltra quod non poſſit producere ſimiles alios: & ſpectatis præcisè viribus Naturæ, videtur poſſe cauſa reproducere etiam effectus ſemel corruptos; manet enim eadem virtus intrinſeca in cauſa, & eadem producibilitas in effectu: producit tamen de facto ſemper nouos; quia Deus extrinſecè eam determinat ad nouam indiuiduationem effectus; tum ob ſpecioſam rerum varietatem; tum etiam, vt nobis ad vſus noſtros ſit modus dignoſcendi diuerſa indiuidua ex circumſtantijs loci, & temporis.

De prioritate cauſæ.

13 Cauſa, vt cauſa, eſſe debet prior natura ſuo effectu, & ad eum intelligi debet præſuppoſita in ſuo eſſe extra ſuas cauſas adæquatas: quare implicat mutua cauſalitas in eodem inſtanti temporis inter effectum, & cauſam, tam in eodem, quam in diuerſo genere cauſandi, in quo requiritur realis exiſtentia cauſæ. Hinc præuia diſpoſitio materiæ ad formam in illo inſtanti in quo producitur forma, non eſt effectus formæ, ſed in ſequentibus, in quibus à forma fluit, vt proprietas naturaliter concomitans illius perſeuerantiam in materia.

De cauſalitate cauſarum.

14 Cauſalitas cauſarum id eſt, quo formaliter cauſa intelligitur tranſire de potentia, & actu primo ad exercitium potentiæ, & actum ſecundum cauſandi, & dandi eſſe effectui. Cauſalitas cauſæ materialis, & formalis dicitur Vnio, de qua ſupra. Cauſæ efficientis Actio: Subiecti patientis Paſſio: finis Finalizatio: Phyſicè non ſuperaddit aliquid ſupra entitates cauſæ vltimò completæ, & effectus actu exiſtentis, ſed ſolum conceptum formalem relationis mutuæ, tam cauſæ completæ ad effectum exiſtentem, quam huius ad illam, & vocatur relatio cauſalitatis in cauſa, & dependentiæ in effectu. Completur autem cauſa vltimò per Decretum Dei determinantis indiuiduationem effectus à tali cauſa, cui applicat ſuam omnipotentiam; quo poſito decreto, impoſſibile eſt hic, & nunc, non ſequi talem effectum numero à tali cauſa ſine vllo modali determinatiuo intrinſeco ſuperaddito. Quid autem ſit rem vnam eſſe ab alia, et recipere eſſe ab illa, eſt prima notio inexplicabilis; vt eſt, rem tranſire de non eſſe ad eſſe, exiſtere; vtrumque enim patet experientia, qua experimur, et nos exiſtere, et actus noſtros à nobis eſſe; ſed ipſe quoque quæro, quid ſit modalem entitatem exiſtere, et ab hac cauſa?

15 Hinc

15 Hinc quando plures cauſæ totales, et de ſe adæquatæ applicantur eodem tempore eidem paſſo, non producunt naturaliter totum, & totaliter eumdem effectum; ſed ſe habent ad illum, ac ſi eſſent inadæquatæ, & partiales; quia ſpectato ordine Naturæ habentis pro fine dare ſimpliciter eſſe effectui, non complentur ſingulæ decreto adæquato proprio ſuperabundanti, ſed vno omnibus communi ſufficienti ad finem intentum. Partialis cauſa dicitur, quæ ad effectum alterius habet conſortium. *De effectu ex duabus totalibus.*

16 Finis eſt vera cauſa realis intentionalis, recenſita inter phyſicas, quia ſublato fine, quocumque alio poſito requiſito, non poteſt ſequi effectus à cauſis phyſicis temerè non operantibus. Virtus motiua finis eſt ſola Bonitas, vel vera, vel apparens: cognitio autem, qua repræſentatur appetitui talis Bonitas eſt quædam proportionalis exiſtentia cauſæ intentionalis ad cauſandum: cuius effectus ſunt tam actus circa media, et ipſum finem, quam ipſa executio mediorum, et realis conſecutio eiuſdem finis; quia fiunt ex vi Bonitatis allicientis, ſeù propter finem. Omne Agens intellectiuum perfectiſſimè operatur propter finem per cognitionem, et electionem mediorum. Bruta minus perfectè ex inſtinctu Naturæ, ſeu actu æſtimatiuo conſequente neceſſariò ad phantaſma de obiecto propoſito: cætera agentia imperfectiſſimè, ſeruando ſcilicet operandi certum tenorem, ac modum, quem, quia aliquando non ſeruant, vel ob accidentale impedimentum interpoſitum, vel ob concurſum plurium, quæ cauſæ per accidens à natura non ordinantur ad idem vnum opus, oriuntur monſtra, quæ dicutur errores, et peccata Naturæ; hæc frequentius accidunt in animantibus, quia ad generationem animalis cum plura concurrant, facilius poteſt deficere aliquod requiſitum, et poni aliquod impedimentum, vnde ſequatur deuiatio à recto modo operandi. *De fine.*

17 Cauſa prima, ſeu Primus Motor Deus concurrit immediatè cum cauſis ſecundis creatis ad omnes et ſingulos illarum effectus, quos iam productos ſubſtantiales omnes ſe ſolo conſeruat; accidentales verò aliquos etiam cum cauſa ſecunda, quæ primo illos produxit; prout experientia notum fit aliquos deſinere ſublata eorum cauſa, aliquos non. Determinat indiuiduationem effectus ad cuius ſpeciem natura ſua eſt cauſa ſecunda neceſſaria determinata; et libera, vt vult, ſe determinat; nullam verò cauſam phyſicè prædeterminat. Exiſtere Cauſam primam lumine Naturæ patet ex conceptu entis, boni, facti, *Ex 7. & 8. Phyſ. De cauſa Prima & Primo Motore.*

per-

perfecti, imperfecti, contingentis, et neceſſarij; quin immò ex ipſis Atheorum argumentis, vt verè hi ſint inſipientes, dum dicunt in corde ſuo: Non eſt Deus. Eius eſſentia eſt omnis pura perfectio. In qualibet linea perfectionis particularis, vt eſt in omnibus, debet infinitè excedere omnes, et ſingulas ſuas creaturas. Omnipotentiæ abſolutæ negari non debet, niſi id, quod manifeſtò implicat: probabilis enim implicantia leue indicium eſt; quo ductus ſi quis aliquid Deo impoſſibile iudicat, plus puto phyſicè peccare in ſuo iudicio, quam qui temerè iudicaret de Virò ſanctiſſimo ex leui indicio, in quo alias etiam fuerit falſus. Omnes autem homines ſæpè iam falſi ſunt ex probabili implicantia, vt notum eſt, ex replicatione corporum, ex penetratione, ex vnione hypoſtatica, ex Euchariſticis accidentibus ſine ſubiecto; quæ iam veriſſimè dari docet fides. Temerarium etiam vocat D. Amb. lib. de Parad. cap. 2. qui quæ in creaturis ſibi incomprehenſibilia ſunt, damnans iudicat: at in probabili implicantia, in qua de oppoſito quis non conuincitur, nil certi plus habet, quam quod oppoſitum ſibi ſit incomprehenſibile. Omnipotentia verò adhuc ſtat in poſſeſſione ſui iuris, poſſe ſupra captum intellectus creati.

Ex 3. & 5. de Motu.

18 Motus, per quem definitur Natura, eſt immanens; ideſt receptus in eodem principio, à quo eſt: datur enim etiam motus tranſiens in externum ſubiectum. Vterq; ſic in communi deſcribitur ab Ariſt. Actus entis in potentia prout in potentia: ideſt primum eſſe realis formæ accidentalis in ſubiecto, vt immediatè antea tali forma priuato. Specificantur motus à terminis principaliter ad quos ſunt: quare alius eſt in prædicamento vbi, et dicitur Latio: alius in prædicamento quantitatis; ideſt Accretio, & Decretio, alius in prædicamēto Qualitatis, & eſt Alteratio. Eſt etiam motus latè dictus in prædicamento ſubſtantiæ, &c. quo ſe viuens ex alimento auget & nutrit. Nullus motus, præter Lationem, fit per partes poſt partes cum eſſentiali ſucceſſione.

De Latione.

19 Latio, ſeu Motus localis formaliter eſt adductio ſucceſſiua mobilis ad partes diuerſas ſpatij realis, vel imaginarij, quibus mobile correſpondet; vel concipitur correſpondere. Non habet pro termino Vbi fluens modale, vel qualitatem tranſlatiuam; licet hæc, vt plurimum prærequiratur in mobile, vt complementum potentiæ ad ipſam lationem, vt ipſi experimur, qui aliquando etiam nolentes ferimur impulſu in nobis producto. Velocitas & tarditas lationis non rectè explicatur per morulas interceptas, quæ deberent eſſe valdè ſenſibiles; ſed ex eò quod

vnum

vnum mobile ſecundum ſuam minimam particulam determinatam eodem tempore plus ſpatij percurrat, quam alterum; vel vtrumque idem ſpatium, ſed inęquali tempore.

20 Spatium, ſeu Locus extrinſecus deſcribitur: ſuperficies corporis prima continentis immobilis. Sufficienter intelligitur res eſſe in loco extrinſeco ſine vllo vbi intrinſeco ſuperaddito, per ſolam coexiſtentiam rei locatæ, & loci ſaltem imaginarij cum certa diſtantia ad puncta fixa vndequaque. Naturaliter vnum corpus eſſe non poteſt in pluribus locis adęquatis, & diſtantibus inter ſe per circumſcriptiuam replicationem; neq; ibi per penetrationem, vbi eſt adequatè aliud corpus: vtrumque tamen haberi poteſt ſupernaturaliter. *De loco.* *De Replicatione ac penetratione.*

21 Locus carens omni corpore à Philoſophis apellatur Vacuum; quod naturaliter dari repugnat. In illo autem ſupernaturaliter admiſſo inter corpora terminato, fieri poteſt motus lationis ſurſum, & deorſum naturalis grauium, & leuium, & violentus proiectorum, non tamen progreſſiuus animalium, aut volatus auium. E contra in ſpatijs imaginarijs, vbi nullæ differentiæ locales aſſignari poſſunt, ſucceſſiuè progrederentur ſuſdeque animalia, & volarent ad libitum aues: Grauia verò non deſcenderent, nec aſcenderent leuia. *De Vacuo.*

22 Motus circularis Primi Mobilis, & Solis numeratus, ſeu Numerus huius motus ſecundum prius, & poſterius, communiter dicitur Tempus extrinſecum: præter quod non datur aliud intrinſecum, quod ſit duratio modalis, aut aliquod ſuperadditum phyſicum rei duranti: eſſe enim in tempore, & durare dicit ſolum rem permanentem exiſtere cum connotatione ad aliquam ſucceſſionem, vel actualem, cui actu coexiſtat; vel poſſibilem, cui poſſit determinatè coexiſtere. Tempus eſt quid continuum, nullis morulis diſcretum, et eſt extrinſeca menſura, ſecundum quam alij motus dicuntur veloces, ac tardi. Neque tempus neque vllum ens ſucceſſiuum, cui eſſentialiter partes ſunt poſt partes, puto ab omni ente permanente realiter, et adęquatè diſtinctum. Huiuſmodi enim ens eſſet aggregatum ex diſcretis inſtantibus indiuiſibilibus ſeſe in ſuo interitu immediatè ſequentibus; quia nulla pars exiſtens poſſet vniri cum alia exiſtente, alioquin ſecundum has coexiſtentes ſimul eſſet ens permanens, non ſucceſſiuum. Igitur Ens ſucceſſiuum dico eſſe ens ipſum permanens, quatenus eſt in motu, ſeu quatenus correſpondet, aut intelligitur correſpondere, vel ſecundum determinatam ſui partem v. gr. A., diuerſis partibus alterius fixi, *De Tempore.* *De ente ſucceſſiuo.*

et im.

et immobilis, vni ſucceſſiuè poſt aliam, vt ſenſibus patet: vel ſecundum diuerſas ſui partes, vnam poſt aliam, vni parti v.gr. B. eiuſdem fixi, et immobilis; ſiue hoc ſit corpus reale, ſiue ſpatium imaginarium, cui mobile præſens fiat. Cum verò dicimus rem in inſtanti, ſeu motu inſtantaneo fieri intelligimus rem totam ſimul in tempore determinato minimo, incommenſurabiliter fieri, totam in toto, et totam in qualibet eius parte deſignabili; vt proportionaliter res ſpiritualis exiſtit definitiuè in ſubiecto, ac loco diuiſibili. Hoc autem minimum tempus, in quo pars minima phyſica mobilis reſpondet nouo ſpatio ſibi proportionato, accipimus indiuiſibiliter, ac ſi eſſet omnis partis expers; et vocamus inſtans temporis, quod inter diſputandum in vſu eſt.

De continuo. 23 Nullum verò continuum componi poteſt ex puris indiuiſibilibus, non permanens, quia indiuiſibilia, cum nullas partes habeant, non poſſunt tangi, vt faciant extenſum, quantum, et maius per partes: quæ verò dicuntur inflata, vt ſecabilia, palpabilia, ac nimis ſenſibilia, credi non poſſunt indiuiſibilia, nec ſpirituali modo locata: ſed neque ſucceſſiuum ex puris inſtantibus conſtat, quia inſtantia cum non poſſint coexiſtere, non poſſunt continuari, vt faciant continuum: et cum non habeant prius, et poſterius, eſſet inſtans incommenſurabilis menſura motus ſupra partes priores, et poſteriores ſpatij diuiſibilis: neque ſine morulis interceptis, quas ſenſus ipſe dari negat, ſaluari poſſet velocitas, ac tarditas motuum. Ergo continuum componitur ex ſemper diuiſibilibus, vt docet Ariſtoteles. Hæ autem partes actu inter ſe diſtinctæ, quarum vna producitur, altera corrumpitur, et locum occupat vna, quem non occupat altera, ſeipſis continuantur, remotis impedimentis, et poſitis requiſitis ad continuationem, homogeneitate, viſcoſitate, humiditate, et alijs qualitatibus adhæſiuis. Seipſis etiam partes minimi phyſici materiæ vniuntur quadam naturali vi, qua res ſe conſeruant, ne diuiſæ in nihilum irent. Partes ſucceſſiuè eo ipſo continuantur, quod non interrumpuntur morulis. Terminantur quoque ſeipſis partes continui ſuperaddita negatione vlterioris extenſionis. Quare indiuiſibilia tam copulatiua, quam terminatiua reijcio, & vt incommenſurabilia parti diuiſibili copulandæ, ac terminandæ, et vt ſuperflua; tum etiam ex eo, quod pars intercepta inter indiuiſibilia, vniatur ſine indiuiſibili; niſi velis indiuiſibile immediatè eſſe poſt indiuiſibile. Corpora verò tanguntur ſemper incommenſurabiliter ſecundum aliquam di-

men-

menſionem : plana ſecundum profunditatem cylindrus , & planum ſecundum latum : ſphæra autem ſecundum trinam dimenſionem incommenſurabilis eſt cum plano perfecto: ideò contactus fit ſolum approximationis ſummæ, quanta eſſe poteſt ſaluis figuris.

24 Extenſio verò, & extreitas partium impenetrabilium, habetur formaliter à Quantitate. Eſt autem Quantitas accidens phyſicum proprium materiæ à qualitatibus realiter diſtinctum; cuius formalis ratio, & metaphyſica eſſentia eſt impenetrabilitas, ſeu exigentia impenetrationis illius, quæ intercedit, videntibus oculis, inter corpora quanta. Alia eſt Continua, cuius partes terminantur, ſeu copulantur termino communi: de qua dictum eſt: Alia diſcreta, cuius partes ſingulæ habent proprios, & diſtinctos terminos, vt Numeri: quorum ſpecies complentur formaliter per intellectum. Alia autem eſt quantitas finita, & terminata: alia infinita, & ſine vllo termino: cuius accipientibus aliquid, ſemper eſt extra accipere. *De quantitate.*

25 Poſſibilia ſunt infinita ſyncategorematicè, & potentia quoad exiſtentiam realem; quoad intentionalem, & obiectiuam in mente Dei ſunt categorematicè, & actu infinita. Infinitum tamen categorematicum in multitudine. in aliqua extenſione, & intenſione exiſtere, eſt quidem ſupra captum humani intellectus finiti, & finitis terminis aſſueti, ſed manifeſtè non implicat. Figuratum verò, & clauſum limitibus intrinſecis, etiam improprijs eſt manifeſta chymera. Implicat etiam creatura perfectiſſima, & imperfectiſſima finita, quia limitat omnipotentiam: Implicat infinita in perfectione eſſentiali indiuiſibili; quia talis eſſet non ex eo, quod in ſuo genere non haberet aliam perfectiorem, ſic enim res quælibet in eſſentia indiuiſibili eſſet infinita; ſed quia in nullo alio genere poſſet habere ſupra ſe perfectiorem; ac proinde eſſet perfectiſſimæ eſſentiæ ęquantis Diuinam. Infinitum verò ſolum materialiter, nullum formaliter, eſt alio maius: neque alteri æquale poſitiua æqualitate, quæ terminum importat, ſed negatiua, ſeu per negationem poſitiui exceſſus: ita inter proportiones ſimiles, vt 4. ad 2. & 100. ad 50. non inuenitur, niſi materialis exceſſus. Quodlibet infinitum infinities in ſe continet omnes numerorum ſpecies, ita vt finitè in infinitum poſsit diſtribui per varias ſeries, ac combinationes numericas, & veluti replicari, & multiplicari; ac proinde pluribus alijs infinitis æquiualere, ac *De Infinito.*

correſpondere ſimili ſerie binariorum , aut ternariorum, diſtributis, ac diſpoſitis, verbi gratia infinitum hominum infinitis oculorum , & capillorum per binarios , ac millenarios ordinatis. Neque vnquam infinitum tollitur , niſi quando totum ſimul in ea ſerie , in qua poſitum eſt , aufertur. Hoc miraculum habetur in vno quanto palmari ob rationem ſyncategorematicæ infinitatis incluſæ. idem enim palmus ſecundum longum pluries diuiſus, ac multiplicatus innumeris finitè in infinitum alijs palmis reſpondere poteſt : neque vnquam auferetur ; niſi totus ſimul , in qualibet diuiſione multiplicatus,tollatur: ſi enim ſolum centum verbi gratia deſtruas, adhuc in particula, quæcumque illa ſit, remanent centum, & mille, &c. Quia diuiſibilis in infinitum.

†

EX SVPERIORI ET INFERIORI SINV

TERTIA MARGARITA

EX LIB. DE MVNDO, ET COELO.

1 MVNDVS dicitur ab Ariſtotele lib. de Mundo ad Alex. Compages è Cœlo, terraque coagmentata, atque ex ijs naturis, quę intra eam continentur. Componitur autem hic ſenſibilis mundus ex duplici corporum genere ſimplicium, & mixtorum ex ſimplicibus. *Ex lib. de Mundo, & Cælo.*

2 Simplicia ſunt quatuor vulgata elementa, ſeu Miſcibilia, Terra, Aqua, Aer; & Ignis; & ſubſtantiæ cęleſtes ſeptem ſtellæ erraticæ, quæ dicuntur Planetæ; Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iuppiter, & Saturnus, & innumeræ, fixæ, ac immobiles. Planetis ſufficit vnum cęlum, alterum fixis; additur Empyreum. Mixta ex quatuor miſcibilibus ſunt, tam animata, quam quæ ſine anima, ſine numero nobis noto.

3 Mundus vnus eſt vnitate contiguitatis localis, quam mordicus tenent eius partes, ne vacuo inimico diſſocientur. In ordine ad fines, ad quos ordinauit Diuina Sapientia, perfectus eſt; ad eos enim obtinendos nihil deeſt debitum, ac neceſſarium: potuiſſet tamen fieri perfectior in ſuis ſpeciebus, ac partibus.

4 Mundus à Deo creatus eſt in tempore, ſeu in æternitate, quam extrinſecè diuidit in æternitatem à parte ante, & à parte poſt. Intelligitur autem æternitas à parte ante quatenus, vel ipſe mundus prius, & prius ſe ipſo, vel aliæ, & aliæ creaturæ ante ipſum cum ſucceſſione anteriori ſine primo potuiſſent creari; in quo ſenſu ſolet etiam dici creatus mundus poſt elapſam æternitatem. Habetur verò ęternitas à parte poſt, quatenus vel ipſe poſterius, & poſterius ſeipſo, vel aliæ, & aliæ creaturæ poſt ipſum cum ſucceſſione poſteriori ſine vltimo producibiles ſunt.

5 Potuiſſet à Deo mundus non creari; non potuiſſet tamen ab æterno creari; quia nulla creatura ęquare poteſt Deum in vlla perfectione particulari ſumpta ſecundum ſuam totam latitudinem; debet enim neceſſario Deus eſſe Summus in omni, & ſin- *De creatura æterna.*

Digitized by Google

gula perfectione ſimpliciter ſimplici: atqui æternitas eſt peculiaris perfectio, vt patet, non incluſa formaliter in conceptu formali vllius alterius perfectionis ſecundum totam latitudinem ſuam acceptæ, vt includitur potentia creandi Angelum in conceptu formali omnipotentiæ potentis omnia, quæ non implicanr; ac proinde æternitas ſtatuit lineam peculiarem perfectionis durationis, in qua ſumma eſt, eſſe ſine principio, & ſine fine: Ergo hæc eſt diuina, ſeu propria Dei nulli creaturæ communicabilis. Neque ex alio capite infinita Bonitas, Sapientia, Omnipotentia, Prouidentia; & cæteræ particulares perfectiones Dei ſunt creaturis incommunicabiles; niſi quia in qualibet linea perfectionis particularis ea, quæ eſt ſumma, & perfectiſſima, propria eſt Dei: alioquin dari poſſet creatura infinitè Bona, Sapiens, Prouidens, &, ſaltem in ſententia eorum, qui admittunt idem per primam actionem producere poſſe ſeipſum, etiam Omnipotens; quia hæ perfectiones creatæ licet ſummæ, diſtinguerentur ab increatis ſufficienter ex eo, quod eſſent participatæ, & defectibiles ab intrinſeco; vt volunt noſtri Aduerſarij diſtingui ęternitatem creaturæ ab ęternitate Creatoris. Sed admiſſo hoc abſurdo; eſt conceptus Summi Dei, & in omni perfectione perfectiſſimi, quod omnes, & ſingulas creaturas ſuas collectiuè, & diſtributiuè acceptas infinite excedat in omni, & ſingula perfectione particulari; vt lumine Naturæ mihi videtur patere. Quare dato etiam quod creatura æterna poſſet in æternitate deſtrui, cum de factò detur creatura æterna à parte poſt; nempe Anima Rationalis; quæ imperfecta importat principium eſſendi, & eſſe ſolum præſens temporaneum, & finitum; iam daretur duratio creata ęqualis Increatæ, & Deus à creatura ſua æquaretur in perfectione particulari. Verum puto creaturam æternam omnino indeſtruibilem, & duraturam in æternum, ſeu per durationem ſine fine; alioquin duraret per tempus; atque ita eſſet inuenire initium productionis illius, quod implicat in æternitate, quæ eſſentialiter eſt ſine initio. Impropria autem eſt illa locutio: fore deſtruendam poſt elapſam æternitatem tunc, cum eſt productus mundus de facto; nam æternitas non dicitur lapſa, niſi quatenus creatura contingens, vt docet D. Auguſt. 12. de Ciu. cap. 15. incipit tempus in æternitate, quam extrinſecè diuidit iuxta nuper dicta. Et qui æternitatem non aſſerit nobiſcum ipſum eſſe Dei neceſſarium, & tempus eſſe creaturæ contingentis, non video in quo bono ſenſu proferat ly: poſt elapſam æternitatem. Atque hinc noua ratio negandi

crea-

creaturam æternam eo, quod æternitas de ſua intrinſeca formali ratione neceſſitatem eſſendi ſecum trahat, quæ repugnat ſubijcibilitati Creaturæ, & abſoluto Dominio Magni Dei; ad quem ſpectat non ſolum creaturam producere, ſed etiam conſeruare ex libero, & peculiari fauore. Accedit auctoritas SS. PP. qui vno ore contra Arianos clamant: Verbum eſt æternum, ergo non eſt creatura: at ſi hæc poſſibilis eſt æterna; quæ vis ineſt argumento? concedent enim non eſſe creaturam ex factis in tempore, de quibus loquitur Scriptura.

6 Ens ſucceſſiuum æternum implicat ſpeciali iure: ex eo quod ſit ens, cuius partes eſſentialiter ſunt durationis finitæ, ſecundum prius, & poſterius; quin immò inſtantaneæ: finis autem indicat initium, quod implicat in æternitate. Quis autem credat totum æternum, cuius quælibet pars æterna, chymera eſt? argumentum vero à diſtributiuo ad collectiuum valet, quoties prædicatum conuenit parti, non vt pars eſt, ſed vt habenti naturam, & eſſentiam totius; vt patet, ſi dicas: hæc pars parietis, & hæc, & illa, eſt alba, ergo totus paries albus, atqui tam motus, quam ſingulæ partes motus, & entis ſucceſſiui, habent eſſentialiter prius & poſterius. Sed data creatione ſolis æterna; quæro, in quonam puncto hemiſphærij; noſtrine, an oppoſiti creauit Deus Solem ab ęterno? Interrogatus, num reſponderet: Neſcio? an diceret: Solem effectum determinatum in toto cœlo productum indeterminatè? vtrumque abſurdum: ergo determinata pars cœli eſſet aſſignanda: at ex hac cępit moueri; ergo ex hac initium motus ęterni.

7 Sed multò clarius implicant generationes ęternæ ab vno primo, quæ per certa interualla naturaliter fiant; puta humanas ab Adamo per interualla nouem menſium. Eſſet enim à Deo aſſignanda, quæ immediata eſſet Adamo; hæc vero eſſet, vel poſt ęternitatem producta, non ęterna; vel poſt nouem menſes à creatione Adami, non æterni, habentes ſolum nouem menſes.

8 Mundus hic in tempore creatus naturaliter ſolo concurſu Dei ordinario poteſt durare in æternum, habens ſubſtantias cęleſtes, & ſublunarem materiam incorruptibiles, in qua directè non intenditur à Natura corruptio ſine generationę. Durabit de facto, ſed in alio ſtatu: iuxta illud Apoc. 21. Video Cœlum nouum, & Terram nouam; & illud Iſa. 30. Erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter. Poſt diem Iudicij ceſſabit, vt creditur, Cœlorum motus, & generationum *De Mundo.*

viciſſi-

viciſsitudo ſublunarium; dicente Angelo in Apocal. 10. quod Tempus non erit vltra.

9 Partes Mundi ſic ſitualiter ordinantur. Terra grauiſſima, & infima centrum Vniuerſi obtinet, locum infimum: Aqua ſuperfunditur natura ſua Terræ: deindè Aer occupat regiones ſupra aquam: poſtremò Ignis ſub concauo Lunæ; quod patet; quia Terra ſub Aquam deſcendit, Aqua ſub Aerem, Ignis, vt leuiſſimus, ſuper Aerem conatur eſſe, quantum poteſt; neque illi congruentior locus alius aſſignatur, quam ſupremus; neque proprius principaliori elemento denegandus eſt. Inter verò cœleſtia corpora ſecundum Ptolemaicum ſyſtema Luna infima eſt, ſupra quam Mercurius, deinde Venus, tum Sol, Mars, Iuppiter, & Saturnus: poſtremò fixæ, & Empyreum. Secundum vero Ticonem, Luna, & Sol vertuntur circa Terram, vt Centrum; circa Solem vero reliqui Planetæ. Recentiores præhabitis accuratius obſeruationibus, ſtatuunt circa Solem verti Mercurium, & Venerem, & interuallo maiori etiam Martem; Iouem vero, & Saturnum circa Terram, vt circa Centrum.

10 Mundus ſenſibilis tum ſecundum ſe totum, tum ſecundum partes videtur obtinere figuram rotundam. Empyreum fortaſſe eſt: Ciuitas in quadro poſita; de qua Apoc. 21. Sol, Luna, & Stellæ apparent ex ſuis, quas reddunt, imaginibus ſphæricæ; vnde Sol eclypſatus videtur ſecundum partem ſui diſci diminutus in Aqua; vel ex ſpecie luminoſa per feneſtræ rimas quaſcumque in pauimentum proiecta. Elementaria corpora configurantur concauo cœleſti; & Terra, & Aqua vnum phyſicum globum ſimul efficiunt, qui dicitur Terraqueus, vt innoteſcit, tum ex vmbra conica Terræ, & Aquæ faciente eclypſim Lunæ, dum intercipitur inter Solem, & Lunam ipſa Terra, & Aqua. Vmbra autem conica pro baſi rotundum corpus habet; tum ex inſpectione diuerſa certi ſyderis, Ortu, & Occaſu eiuſdem, non eodem tempore omnibus, tam in Terra, quam in Mari exiſtentibus; quia gibboſitas Terræ, & Aquæ his impedit lineam viſualem, non illis: ſed præſertim ex eò, quod omnes partes æquè grauitent ad idem centrum, quantum poſſunt, vnde ſequitur æquidiſtantia partium extremarum ab illo, quæ eſt ipſa ſphæricitas.

11 Aqua in Terræ finibus pro Viuentibus terreſtribus, vt in vaſe collecta, Mare dicitur; quod non eſt altius ipſa terra, quia vt eſt corpus fluuidū, minimè conſiſtens, hinc & inde deflueret; & fluuij ad illud decurrentes aſcenderent in locū eminentiorem.

12 Ori-

12 Originem ducunt ex Mari plurimi fontes, ac lacus; ij ſcilicet, qui ex ſuperficie Maris altiori duci poſſunt; non enim aſcendit aqua altius, quam ſit locus, à quo deſcendit. Decurrit autem aqua per cuniculos ſubterraneos ſalebroſos, ac glareoſos per quos deponit ſalſedinem, & è Terra deinde dulcis erumpit. Aliqui etiam oriuntur ex pluuialibus in vnum coadunatis, vnde torrentes, qui ex magna ſiccitate ſiccantur. Illi vero, qui in altiſſimis montibus ſcaturiunt, vel à Mari ortum habent, quatenus aqua ſubter decurrens, terra ſpongioſa, ac arido pumice attrahitur ad ſummitatem montis, vbi diſſoluitur in fontem; ità ſuperficies ſumma panis in aquam iniecti trahit ad ſe humorem, quem non contingit; ita oleum exugit ellychnium è lucerna, quod guttatim demittit ex pendulo altero capite extra illam: Iuuat etiam hunc ortum fontium ignis ſubterraneus, quatenus attenuando aquam, illam eleuat. Vel oriuntur hi fontes, vt vult Ariſt. 1. meteor. ex aere plurimo vaporoſo, qui in fornicibus montium, ſaxoſis, ac ſpongioſis ſinibus frigidiſſimis, tranſmutetur in aquam, ſubinde nouo aere pro materia tranſmutabili per capaces meatus ſuccedente; quæ aqua defluit in fontes, qua illi aditus patet: vnde perennantes fluuij. *De origine fontium.*

13 Maris ſalſedo habetur præſertim ex plurimis exhalationibus, quibus refertiſſimum eſt Mare, calidis, ſulphureis, nitroſis, terreſtribus, ſiccis, atque etiam humidis craſſis, non benè decoctis; ex quarum permixtione fit ſapidum. Aeſtus maris potiſſimum habetur à calore Lunæ; quatenus per mixtæ exhalationes, ac halitus diuerſi, craſſi, ac viſcoſi, modico etiam calore, vt patet ex muſto, facile intumeſcunt, & æſtuant; concitatis etiam è fundo ſpiritibus per ignes ſubterraneos. *De Mari.*

14 Dari autem ſubterraneos ignes in viſceribus Terræ incluſos, ad fœcunditatem ipſius terræ, ad mixtionem metallorum, & foſſilium in fodinis, in quibus non deficit pabulatiua materia ſulphurea, & bituminoſa; notum eſt ex montibus igniuomis, ex aquis thermalibus, & non paucis ebullientibus, & ſimilibus effectibus, naturalibus; & ex terræ motu, vbi accenditur ſicca exhalatio, vel ob antiperiſtaſim, vel ob attritionem, vel alia de cauſa extrinſeca, & quærit maiorem locum non ſine vi magna, & impulſu, vt res ſe habet in cuniculis militaribus.

15 Cælum valde probabiliter conſtat ex materia eiuſdem rationis cum hac ſublunari: ex propria tamen forma habet eſſe incorruptibile ſubſtantialiter, ſolis accidentalibus alterationibus ſubiectum. Tres Cœli ſufficiunt, Planetarum, Fixarum, ſeu *De Cælo.*

Firma-

Firmamentum, & Empyreum. Horum primum fluiduṁ; reliquos duos cum communiori ſolidos eſſe cenſeo. Mouentur ab intelligentia aſſiſtente, non ab Anima informante.

Influunt Cæli cum ſuis aſtris in hæc inferiora, tam per lumen, & qualitates notas alteratiuas, quam per alias ſuperioris ordinis ab elementaribus, quæ dicuntur qualitates occultæ, & communi vocabulo, Influentiæ Cęlorum.

Hinc eſt, quod ex ortu, occaſu, coniunctione, oppoſitione, & aſpectibus diuerſis ſyderum plura rectè præcognoſci poſſunt circa Agriculturam, Nauticam, Medicinam, & Conſtitutionem, ac Alterationem humani corporis; nihil vero directè circa ea, quæ pendent ex noſtra libertate: quare omnino vana eſt Aſtrologia Iudiciaria.

De Elementis. 16 Elementum ex 3. Cæli tex. 31: eſt illlud corporuṁ, in quod cætera corpora diuiduntur; ipſum verò eſt indiuiſibile in diuerſa ſpecie. Quatuor ſunt vulgata elementa, Terra, Aqua, Aęr, & Ignis: Singula habent ex primis qualitatibus duas, vt proprias, alteram in ſummo, alteram in excellenti ſine admixtione contrariæ. Terra in ſummo ſicca, frigida prope ſummum: Aqua ſummè frigida, humida in excellenti: Aer ad ſummum humidus, calidus non ita: Ignis ſummè calidus, excellenter ſiccus: conſiderata tamen ſecundum puritatem propriæ naturæ; nam valdè impura pro generationibus ſublunarium apud nos exiſtunt.

Ignis, vt leuiſſimus, ſupremum locum obtinet ſub concauo Lunæ. Terra grauiſſima infimum in centro Vniuerſi, cui firma adhæret ſine vllo motu trepidationis. Aer ſubſternitur Igni ſuper Aquam, quæ ex natura ſua ſuperfunditur Terræ: nunc verò in bonum viuentium facit ſimul cum ipſa Terra hunc phyſicum globum Terraqueum.

De qualitatibus Elementoruṁ primis. 17 Calor congregat homogenea, & diſgregat etherogenea; frigus congregat homogenea, & etherogenea: Humiditas facilè dicitur terminabilis alieno termino; difficile proprio: Siccitas facilè proprio difficile alieno.

Sunt qualitates poſitiuæ à ſubſtantia diſtinctæ; omnes actiuæ, licet comparatiuè, & in ordine ad mixtionem, ſiccitas, & humiditas dicantur paſſiuæ. Sunt primæ primitate præſuppoſitionis: Sunt contrariæ, ita vt ſimul in eodem ſubiecto remiſſæ eſſe poſſint, vt impleant latitudinem aſſignatam octo graduum; in ſummo intenſæ ſimul eſſe non poſſunt, niſi per abſolutam Omnipotentiaṁ.

Elemen-

Elementa, quæ conueniunt in aliqua ex his qualitatibus dicuntur ſymbola; ſecus, diſsymbola: inuicem immmediatè poſſunt tranſmutari, ſi congrediantur cum debita proportione actiuitatis, & reſiſtentiæ paſſiuæ.

Qualitates ſymbolæ tam in Elementis, quam in alijs corporibus, v.g. omnes calores, probabiliùs ſunt eiuſdem ſpeciei.

18 Ex primis oriuntur ſecundæ elementorum qualitates, Raritas, & Denſitas, Grauitas, & Leuitas. Rarum ex phyſ. tex. 14. eſt quod habet parùm materiæ ſub magnis dimenſionibus; & Denſum; quod habet multum materiæ ſub paruis.

Rarefactio, & condenſatio motus ad Raritatem, & Denſitatem ſaluatur per penetrationem, & expenetrationem partium ipſius materiæ, à qua ſic expenetrata per emanationem producitur noua quantitas, quæ deperditur in condenſatione, dum penetratur; Non.n. omnis rarefactio, & condenſatio ſaluari poteſt per intromiſſionem, & extramiſſionem alienorum corpuſculorum: nulla verò per qualitatem, aut vbicationem maiorem, & minorem ſuperadditam; aut per puncta inflata, ac deflata. *De Raro, & Denſo.*

19 Grauitas, & Leuitas ſunt qualitates ſuperadditæ ſubſtantijs, & temperamento primarum; & dicuntur Virtutes motiuæ elementorum: Grauitas eſt principium motus deorſum: Leuitas, ſurſum. Elementa in ſede propria non grauitant. *De Graui, et Leui.*

Proiecta vero mouentur per qualitatem ab impellente productam, quæ vocatur Impulſus. Hunc etiam ſibi producit corpus graue in deſcenſu; vnde motus naturalis in fine, violentus vero proiectionis in medio, velocior.

20 Ex 4. Elementis, vt ex corporibus ſimplicibus miſcibilibus, componuntur cætera corpora ſublunaria, quæ dicuntur mixta ſubſtantialia, integrantia hoc Vniuerſum. Mixtio, qua miſcentur miſcibilia pro generatione mixtorum ab Ariſtotele dicitur: Miſcibilium alteratorum Vnio. Vnde probabilius cenſemus elementa ſecundum ſubſtantiam integra, ſecundum qualitates ſuas retuſa, formaliter manere in mixtis poſt mixtionem. *De mixtis, & mixtione.*

Digitized by Google

EX ORIENTALI, ET OCCIDVO SINV

QVARTA MARGARITA

EX LIBRIS DE ORTV RERVM, ET OCCASV.

Ex lib. de Ortu rerum, & Occaſu.

1 ORTVS, ſeu Generatio ſubſtantialis eſt productio compoſiti ſubſtantialis dependenter à ſubiecto ſuſtentante. Corruptio oppoſita: deſitio eiuſdem, ſubiecto eodem remanente. Generatio Viuentis in particulari, ex D. Thom. p. p. q. 27. ar. 2. eſt origo Viuentis à viuente per principium coniunctum in ſimilitudinem Naturæ, ſaltem in proximo genere. Productio vero rei ex nihilo ſui, & obiecti rectè dicitur; Creatio; vt deſitio rei in nihilum ſui, & ſubiecti. Annihilatio.

De Generatione.

2 Generatio vnius concomitanter vt plurimum, vel cauſaliter eſt corruptio alterius deſitio enim ſeu primum non eſſe formæ in ſubiecto eſt ſecundarius effectus formæ oppoſitæ in illo productæ. Hic vero tranſitus ſubiecti de termino poſitiuo in poſitiuum, vt de ligno in ignem, dicitur Conuerſio, habita ex vi repugnantiæ, quam habent extrema cum tertio ad peculiaria munera obeunda. Quod ſi hoc tertium manens eſſet aliquod accidens, conuerſio eſſet Tranſubſtantiatio, qualis eſt conuerſio miraculoſa Euchariſtica, de pane in corpus Chriſti Domini.

3 In nulla generatione naturali fit reſolutio vſque ad materiam primam. Senſus enim docet manere eadem numero accidentia, quæ immediatè ante productionem formæ præerant; vt docet te eſſe in primo, ac ſecundo quadrante horæ eumdem. Neque eſt aſſignare cauſam illorum deſtructiuam, & immediatè productiuam, niſi velis naturam nugari, vel formam introduci in materiam indiſpoſitam.

De efficiente cauſa generationis.

4 Cauſa efficiens generationis ſubſtantialis eſt ſubſtantia, non Accidens; quod ſolum, vt inſtrumentum, diſponit materiam expellens contrarium, producens accidens congeneum ſubſtantiæ generandæ. Nemo enim dat, quod non habet: vnde cauſa, ſaltem adæquata, debet eſſe, vel perfectior quam ſit effectus, qualis eſt æquiuoca; vel æquè perfecta, qualis eſt vniuoca.

uoca : Inter accidens autem ; & ſubſtantiam eſt ea maxima improportio ,quæ poteſt intercedere inter entia . Sunt enim ſumma genera,& membra primò oppoſita, diuidentia ens; inter quæ propoſitio negatiua; ſcilicet ſubſtantia non eſt Accidens : habetur, vt dignitas, & principium indemonſtrabile. Quare, cum inter ſubſtantias nunquam ſit tanta improportio, aſſerimus ad effectum etiam nobiliorem inadæquatè, & partialiter concurrere ſubſtantias imperfectiores, ad quarum præſentiam non mortuam, & inertem, ſed operatiuam, & viuam, fit talis effectus, pro quo diſponunt materiam. Si enim ſubſtantiæ illæ inſtrumenta habent actiua ſibi debita ad diſpoſitionem materię pro ſubſtantia effectus, cur non habeat virtutem etiam effectiuam illius? ineptè quis negaret artem fabrilem in eſſe homini ſecum ex inſtituto ſuo deferenti fabrilia inſtrumenta, & clamanti ſe fabrum eſſe. Igitur elementa cum Cœlo concurrunt ad generationem foſſilium, & mixtorum inanimatorum, plantarum, & herbarum; atque etiam animalium ex putri, quorum origo non eſſe poteſt rana vaga, quia effectus determinati aſſignanda eſt cauſa determinata, de qua verificetur propoſitio de præſenti: datur aliqua cauſa huius effectus: accidentia vero ſunt magis improportionata, quam illæ ſubſtantiæ. quamquam orta ex putri, vt imperfectiſsima, fortaſſe non habent adæquatam cauſam in natura ſine vllo abſurdo. Ouipera generantur ex vi ſementina ſubſtantiæ oui, organizante illam materiam, & viuipara ex anima matris. Deus autem ſupplet in eo, quod deeſt cauſis ſecundis; & ſic habetur cauſa adæquata æquè perfecta, ac effectus, Neque eſt recurſus ad Deum ſolum ita frequens, quaſi eſſet Natura malè conſtituta, & nimis defectuoſa.

5 Cauſa creata naturaliter non poteſt creare operando independenter à ſubiecto; poteſt tamen eleuari ad creandum, & ad hunc modum operandi in ordine ſuperiori. Habens autem creatura creans terminum limitatum, & modum operandi dependentem à Deo, nullam inferret iniuriam omnipotentiæ. Eſt porrò cuique rei actiuæ potentia inchoata, & obedientialis actiua ad quodlibet ex peculiari ratione non repugnans, complebilis per eleuationem, vel intrinſecam, vel extrinſecam. Certè improportio effectus non obſtat; nam de facto, vt docet fides, datur in Anima talis potentia actiua, & paſſiua ad effectus improportionatos, ad actus, & habitus ſupernaturales, ad viſionem beatificam, ad gratiam ſanctificantem, lumen glo- *De creatione, & potētia obedientiali.*

riæ, Vnionem hypoſtaticam; & vſtionem animarum in igne Inferni, iuxta communiorem, & plures alios. Atque hoc valdè congruit, & dominio, & Sapientiæ ſupremi Artificis Dei, quod ſuis creaturis fuerit fabricatus talia inſtrumenta, vt ad omnes vſus poſſibiles potuerit illis ad libitum vti: nonne magnam laudem aſſequeretur Artifex creatus, ſi conficeret ſibi inſtrumentum pluribus diſparatis idoneum?

De Alteratione.

6 Alteratio, quæ famulatur generationi, eſt latè accepta; motus ad accidens; ſtrictè vero, ad qualitatem tertiæ ſpeciei, & præſertim ad contrariam, vel mediam ſenſibilem: alia eſt corruptiua, quæ tendit ad generationem vnius, quam ſequitur corruptio alterius: alia eſt perfectiua tendens ad conſeruationem ſui ſubiecti, & perfectionem. Sine morulis continuari poteſt ſucceſſiuè per partes aliquotas minimas ſubiecti, & ipſius qualitatis, non per partes proportionales: alioqui nunquam aſſignaretur initium, & finis alterationis, neque certa intenſio qualitatis; quia in proportionalibus neque prima, neque vltima abſolutè aſſignari poteſt, quin prior, quin poſterior.

De intenſione qualitatis.

7 Qualitas habet, vt proprium, intendi, ac remitti, ideſt in eadem parte ſubiecti fieri maior, quatenus gradus additur gradui; & minor; quatenus gradus, ſeu pars detrahitur à gradu. Eſt enim intenſio motus acquiſituus qualitatis, & remiſſio deperditiuas partium, quæ erant intra partes; vt accretio acquirit partes, & decretio amittit partes, quæ erant extra partes quantitatis.

De homogeneitate graduum.

8 Hi gradus qualitatis homogenei ſunt: ſicuti enim fit extenſio quantitatis per partes eiuſdem rationis, cur non etiam intenſio qualitatis? Deinde ſi etherogenei eſſent, gradus inferior adueniente perfectiore eſſet ſuperfluus, et gradus perfectiſſimus, octauus ſcilicet caloris, tolleretur ab imperfectiſſimo, nempe à primo contrarij frigoris. At plures primi à Deo poſiti in eadem parte ſubiecti, cur quæſo non facerent intenſionem? grauitates, vt vnum, in pluribus granis æquiualent grauitati intenſæ plumbi in ſtatera: ſimul in vno grano collocatæ cur non dabunt æquè intenſam grauitatem, ac ſit grauitas plumbi? idem dico de pluribus luminoſis, habentibus ſingulis modicam lucem ęqualem. Dicuntur verò primi, ſecundi, tertij, prout à Deo ſunt determinati, et producti à cauſa primò, ſecundò et tertiò: quare non ideò calidum vt 5. calorem non producit in calido item vt 5. quia non habeat gradum 6. perfectiorem; ſed quia adæquatum agens vniuocum non operatur, ſeu non promouet

mouet paſſum, ſupra ſuam intenſionem, quia illud ſibi diſſimilaret, vt ipſa docet experientia.

9 Cauſa efficiens alterationis, et qualitatis eſt aliquando ſolum accidens, cum eſt in ſubiecto ſibi extraneo, vt calor in aqua; aliquando ſola ſubſtantia, vt cum per emanationem aqua calefacta reparat ſibi ſuum frigus, aliquando ſubſtantia ſimul, et accidens, quod determinat ipſam ſubſtantiam ad productionem tantæ, vel tantæ intenſionis; ideò ſine ſua qualitate ſubſtantia, quæ dicitur vniuocè operari, non agit in extraneum ſubiectum. In Reflexione cauſa maioris intenſionis ſenſibilis prope obſtaculum aſſignatur Agens principale, concurrente ipſo obſtaculo qualitate directa affecto, quæ in ipſo fortior eſt, vt in ſubiecto denſiore: ſic enim multiplicantur cauſæ ad melius ſaluandas experientias, ac nouas directiones, et ſubinde nouum augumentum qualitatis in pluribus reflexionibus: qualitas autem directa cum agente principali non eſt improportionata ad producendam reflexam. In Antiperiſtaſi verò, ac Præcluſione, ſi qualitas, quæ verè intenditur, eſt debita, et naturalis ſubiecto, vt cum intenditur frigus aquæ, quæ in grandinem, ac niuem cogitur: intenſionis huius cauſam ſtatuo intrinſecam ipſam aquæ formam ſubſtantialem, quæ ad ſui conſeruationem habet meliores vires etiam exerere ſub certis limitibus, quando petitur contrario obſiſtente: ſi verò eſt indebita ſubiecto, vt cum calefit aqua putealis in æſtate, cauſam extrinſecam aſſigno; nempe exhalationes, et halitus inexiſtentes, et occurrentes, qui à contrario refugientes ſe magis vniunt, & fortiores agunt in partes remiſſas; eaſque intendunt. *De cauſa alterationis.*

10 Qualitas propagatur ab Agente per medium ſphæricè vniformiter difformiter ſemper minus in partibus remotioribus ab ipſo agente, ſi cætera ſint paria; & quidem per proportionem potius geometricam, & inæqualem; quam per arithmeticam æqualem; nam videtur propè agens fieri in parte determinata v.gr. ab extremo ad extremum palmi, vnius maius decrementum, quam fiat ab extremo ad extremum alterius palmi remotioris ab agente. Nunquam vero agens tantam intenſionem producit in paſſo, quantam habet in ſe, alioquin creſceret actio in infinitum. quare cum ipſa qualitas producta ſit determinatiua ſuæ cauſæ ad productionem nouæ qualitatis ſemper ſe minoris in ſequentibus partibus medij, & paſſi, tandem peruenitur ad minimum qualitatis, quo finitur actio ſeruata proportione intenſionis, & remiſſionis, prout cœpta fuit actio, & fuit *De propagatione qualitatis.*

agens

agens in his, vel illis circumſtantijs, determinatum initio ad tantam intenſionem in primo minimo ſubiecti; licet enim nunquam ſupra propriam intenſionem, vt eſt cauſa adæquata, infra illam tamen ab extrinſeco paſſo magis proportionato, à contrario obſiſtente, et alijs circumſtantijs molis, ac denſitatis diuerſimode determinari poteſt initio ſuæ actionis ad hanc, vel illam proportionalem propagationem ſuæ qualitatis. Denſitas enim, et moles non augent virtutem cauſæ, ſed applicant eam melius, ac determinant ad effectum, vim illius non excedentem, qui extra illas circumſtantias non produceretur.

De reſiſt. Paſſi, Actione, & Reactione.

11 Vt ſequatur actio debet intercedere proportio maioris inæqualitatis inter actiuitatem agentis, et reſiſtentiam paſſiuam paſſi, qua formaliter exigit paſſum perſeuerare in eſſe; hæc enim minor eſſe debet, vt patet ex terminis. Reſiſtit autem paſſum ad præſentiam contrarij, duplici quadam reſiſtentia, et totius, et partis; ſeù ſecundum omnes partes ſimul, et ſingulas etiam ſeorſim, vt acies bellica ſecundum omnes milites collectiuè, et diſtributiuè; vt primi cadant, cœteris integris. Sic enim intelligitur quomodo formicæ ambulantes terant marmor, et gutta lapidem cauet ſæpius cadendo: et cur agens validum totum ſimul non vincat paſſum debile, ſed ſucceſſiuè per partes, et cur aliquando non ſequatur actio, quæ ſemper ſequeretur, ſi ſolum ſecundum minimas particulas proximiores paſſum reſiſteret contrario agenti ſecundum omnes ſuas. Quod ſi paſſum eſt actiuum, etiam actiuè reſiſtit, reagens aliquid in ipſum agens; vnde datur actio, et reactiò, paſſio, et repaſſio naturaliter, ſecundum eadem contrarietatem qualitatis, ſecundum eadem partem ſubiecti, et eodem tempore: ſunt enim agentia neceſſaria debitè inuicem applicata: et hoc idem experientia docet, dum nix manu calefacta liqueſcit, et manus niue frigeſit. Idem autem propriè non mouetur motibus contrarijs; neque enim contrariantur termini, niſi ſupra latitudinem octo graduum; neque fortaſſe pars non repaſſa agit in repaſſam in pugna, ſed poſt pugnam, vt miles vulnus curat, reparans qualitatem deperditam.

De actione in diſtans.

12 Ad agendum etiam naturaliter requiritur contactus agentis cum paſſo: non enim datur actio naturalis in ſimpliciter diſtans, vt experientia docet in qualitatibus calore, frigore, luce, ſono, odore, et quacumque alia nota qualitate; ſi quidem interpoſito inter agens, et paſſum obſtaculo, retardatur actio, vel penitus impeditur, ſi ſit obſtaculum impermeabile. Aque

hoc

hoc videtur exigere bonum vniuerſi; vt actio violentis agentis poſſit interrumpi ad hoc vt præſertim viuentia poſſint tueri ſe à contrario, et ſe conſeruare. Sufficit autem virtualis contactus ad agendum, quo agens applicatur paſſo per aliquam qualitatem, vel à ſe diffuſam, vel inuentam in medio, quam, niſi inueniret, produceret. Hoc pacto Cœli approximantur viſceribus terræ ad productionem metallorum, per qualitates lucis, caloris, et influentiarum. Ita partes ignis in fornace remotiores agunt in paſſum diſtans per contactum caloris inuenti in medijs partibus eiuſdem ignis: ideò enim plus calefit, qui directè ſiſtitur ad os fornacis, quam qui ad latus, quia etiam partes remotæ directè oppoſitæ in ipſum agunt. Nulla verò experientia euidens opponitur huic notiſſimo modo operandi naturæ; quare ſi quæ aſſeruntur; vel erit in illis aſſignanda aliqua qualitas ſympatica, vel antipatica per medium producta, vt in faſcinio lamiarum, et vi attractiua magnetis, licet in medio, ob illius incapacitatem, non habeat effectum, quem habet in termino; ita quoque odores, ſoni, et qualitates intentionales, non eodem modo medium afficiunt, ac potentiam: vel effectus ab agente ſimpliciter diſtante, vt curatio vulneris ex vnguento Armario, cenſeri poterit ſuperſtitioſus ex implicito pacto cum Dœmone. Si enim hoc indicium dignoſcendi effectum ſuperſtitioſum à naturali tollis, quod, quæſo dabis? proportio enim cauſæ cum effectu à poſteriori dignoſcitur, quatenus hic ponitur ad præſentiam illius in certa diſtantia, & poſitis determinatis conditionibus ad agendum.

13 Item diſtinctio ſaltem inadæquata inter agens, & paſſum ad actionem vniuocam requiritur. quare idem in ſeipſum non agit ſe promouendo vniuocè ad vlteriorem perfectionem: ageret enim ſupra propriam intenſionem, & ſe intenderet vſque ad ſummum contra experientiam, quę docet calorem in aqua non augeri, ſed potius minui: æquiuocè verò poteſt, vt patet in aqua, quæ reparat ſuum frigus, & in viuente, quod habet ſuos actus vitales, ac ſenſationes, quibus perficitur. *De actione eiuſdem in ſe ipſum.*

14 Etiam diſſimilitudo in gradu, vel ſpecie qualitatis eſt conditio, ad hoc vt ſequatur actio vniuoca totalis, & adæquata; quare ſimile in gradu, & ſpecie, non agit in omnino ſimile, vt cauſa totalis; quia cum non ſit maior ratio, cur potius vnum, quam alterum agat, ſe inuicem intenderent vſque ad ſummum & quodlibet ageret ſupra propriam perfectionem, ac virtutem, quia ſupra propriam intenſionem: eſt enim intenſio propria *De actione ſimilis in ſimile.*

perfectio qualitatis, extenſio verò accidit illi, vt eſt qualitas, & conuenit ſolum, vt eſt qualitas materialis. Naturam autem agentis vniuoci, vt vniuocum eſt, hanc eſſe, vt ignis eſt calefacere, nobis innoteſcit experientia; aqua enim calida, vt duo, aquam calidam, vt duo, non intendit, fax luminoſa vt tria luminoſam facem vt tria, non magis illuminat. Ratio peti poteſt ex fine in qualitatibus alteratiuis, quia habent aſſimilare ſibi paſſum, quantum poſſunt, vt conſulant ſuæ corruptibilitati per propagationem ſuæ ſpeciei, & diſponant materiam ad propriam ſubſtantiam; quo fine habito, ceſſat actio, quæ habetur ex fine. Verum vt cauſa partialis ſimile agere poteſt in ſimile, vt patet, quia dum gradus caloris vt 6. producunt calorem vt tria, tres gradus caloris in cauſa adæquata concurrunt ad talem effectum ſibi ſimilem: & ego ipſe igni proximus à calore mihi immediato exiſtente in aere caleſio, et quidem æquè, imo plus, quam ſit calidus talis aer. Diſſimilitudo autem ſolum in mole, aut in denſitate non ſufficit ad hoc, vt ſequatur actio adæquata inter omnino ſimilia; quia virtus actiua, quæ eſt intenſio, non augetur ex mole, niſi extenſiue; neque ex denſitate fit maior; ſed ſolum applicantur magis; et plures partes: vnde verificatur illud axioma: Virtus vnita fortior ſe ipſa diſperſa. Qualitates verò intentionales ſimiles, ſi tamen vniuocè propagantur, permiſcentur propriè non intenduntur in medio, vt enim ſunt repræſentatiuæ, et vicariæ ſuorum principiorum ex ſuo munere ac natura retinent ſuam diſtinctionem ſine confuſione: et licet ſimiles ſint, tamen non poſſunt produci ab alio principio ſimili; ita ſpecies viſilis albi, A, non eſt producibilis ab albo, B.

De maximo, & minimo extenſionis.

15 Neceſſaria inſuper eſt ad naturalem operationem tam ex parte cauſæ, quam ex parte ſubiecti, et effectus quædam determinata moles, et extenſio, infra quam res naturaliter neque agere, neque pati potens, neque fieri, neque ſeparata ab alijs partibus conſeruari. Quæ moles vocatur minimum quod ſic; ſeu terminus intrinſecus paruitatis. Hoc minimum naturale, ſeu phyſicum taxat ſibi tam viuens, quam non viuens, quia res quælibet materialis eſt naturaliter ab intrinſeco determinata ad certam menſuram in quantitate, vt in cæteris diſpoſitionibus. Deinde experientia docet murem nullum fuiſſe minorem formica, et nimia macie animal perire; aqua etiam in particulas minutiſsimas diuiſa corrumpitur, quia ex ſuo minimo in minimum aëris per diuiſionem tranſit; ita enim Natura ordi-

nauit,

hauit, ad mutuas viciſsitudines generationum, vt quod eſt vni minus minimo, alteri ſit ſufficiens minimum, ne materia maneret ſine vlla forma; aut cum forma ſine diſpoſitione. Viuenti vero maximum etiam, quod ſic, extenſionis, ſeu terminus intrinſecus magnitudinis naturalis conuenit, vltra quem non ſe extendit: hinc craſſitie fatiſcit, et ſua mole concidit arbor, areſcit herba, pinguedine moritur animal. Exigit enim viuens ad certas functiones vitæ organa determinata, quæ nimis magna inepta ſunt, vt nimis exilia. Homo longus vſque ad concauum Lunæ quam ineptus eſſet ad vſus humanos? quot milliaria conficeret cibus antequam perueniret ad ſtomachum? antequam ori cibum inferret manus? Non viuens vero, quia ab intrinſeco ſe non promouet ad ſuam molem, tantum poteſt creſcere, quantum illo additur finitè in infinitum ab extrinſeco. quod eſt id, quod dixit Ariſtoteles 2. de ani. t. 41. ignis augmentum in infinitum abit; quouſque fuerit combuſtibile.

16 Qualitas etiam habet ſua minima intenſionis, ac remiſſionis per quæ propagatur. ac producitur per minima ſubiecti: ſic enim rectè ſaluantur initium, et finis alterationum, et determinatæ intenſiones, quæ ſunt in ſubiecto, et certæ diſpoſitiones ad formas ſubſtantiales, quæ incipere debent intrinſecè, vt de illis verificetur: Nunc primò eſt forma in ſubiecto, quod ſine abſurdo verificari non poſſet, ſi per proportionales partes qualitas diſpoſitiua produceretur, quia de iſta non verificaretur: Nunc primò; cum non ſit prima pars in proportionalibus. quare vel deberet præcedere materia cum diſpoſitione ſufficienti ad formam ſine forma, vel deberet eſſe forma in materia ſine ſufficienti diſpoſitione: vtrumque phyſicum abſurdum ex productione qualitatis per proportionales; non per minimas aliquotas. Pro maximo verò, & termino intenſionis naturale ſtatuitur à Philoſophis latitudo octo graduum, vltra quam Agens, licet valens, & applicatum paſſo, nil amplius producit qualitatis.

De maximo & minimo intenſionis ac remiſſionis.

17 Qualitates alteratiuæ ſunt quatuor: Calor, Frigus, Siccitas, & Humiditas; omnes poſitiuæ ſunt à ſubſtantia diſtinctæ realiter; ea enim immota variantur: Sunt primò diſpoſitiuæ ad ſubſtantiales formas, vnde dicuntur primæ primitate præſuppoſitionis in materia. Sunt etiam primò contrariæ, inuicem ſe à ſubiecto eodem expellentes; quoties tamen ſimul excederent dictam latitudinem intenſiuam octo graduum: inter enim hanc latitudinem ſimul pacificè manent, & conſtituunt com-

De primis qualitatib. alteratiuis Elementorum.

 plexio-

plexionem, ac temperamentum debitum formis mixtorum; ad quæ ſimul cum elementis miſcibilibus ordinantur. Neque aliud nos docet experientia, cum videmus tantum de calore deſtrui in ſubiecto, quantum eſt productum de frigore in illo.

18 In ordine ad mixtionem rectè deſcribuntur ab Ariſtot. tex.8 in concreto: Calidum, quod congregat homogenea, & diſgregat etherogenea; frigidum, quod congregat homogenea, & etherogenea; Humidum, quod eſt facilè terminabile termino alieno, difficilè proprio: ſiccum, quod facilè proprio, difficile alieno terminatur. Sic homogenea ideſt liquabilia, ac tenuabilia, & quæ ad aliquam homogeneitatem reduci poſſunt, ad eam calore reducuntur; frigore hæc cum etherogeneis, ſeu diuerſæ liquabilitatis, & ponderationis, ac conſiſtentiæ, incorporantur, & conſolidantur. Ipſa verò miſcibilia per humiditatem facilè habent ſic miſceri, ac terminari; ſiccitate verò retinere corpulentiam, quam recipiunt, & proprios terminos, quos quæ firmius retinent, vt lapides, ſicca abſolutè dicuntur; quæ minus, vt metalla, humida mixta appellantur. Hinc eſt quod comparatiuè, & in ordine ad mixtionem conſideratæ, ſiccitas, & humiditas dici ſolent paſſiuæ qualitates primæ; cœterum et ipſæ actiuæ ſunt: ſal enim carnes exſiccat, et conſeruat à putredine; loca humida eas humectant, vt putreſcant. Siccitas etiam coagulat vt dicitur 4. meteor. cap. 34. coagulare autem eſt agere.

19 Ex his primis duæ propriæ ſunt vnicuique elemento miſcibili, conſiderato ſecundum propriam naturam, vna in ſummo, altera in excellenti ſine admixtione contrariæ, quæ ſine neceſſitate admittitur in corpore ſimplici elementari: Terræ ſiccitas ſumma, frigus prope ſummum; Aquæ frigus in ſummo, humiditas in excellenti. Aeri humiditas ſumma, calor non ita. Igni calor in ſummo, ſiccitas prope ſummum. Hæc autem diſtributio videtur congruentior harmoniæ Naturæ, quam vlla alia. Si quidem et cuilibet qualitati tribuitur ſecundum ſuam perfectionem proprium ſubiectum; et nulli elemento, corpori ſimplici, aſſignantur qualitates contrariæ; et diſtribuuntur ita, vt rectè vnum ſit locus congeneus alteri, cum diuerſitate, quam docet ſenſus. Non enim apparet in duobus elementis eadem qualitas in eodem gradu: eſt enim Terra ſiccior igne, et ignis maximè actuoſus, melius congruit cum ſiccitate, quæ cos caloris eſt; neque facilè terminatur alieno termino; violenter enim detentus, niſi per rimas expiret, ſuffocatur, aut dirumpit repagula.

20 Ele-

20 Elementa, quæ aliquam ſimilem ex dictis qualitatibus habent, vt Ignis, et Terra; Ignis, et Aer, ſymbola dicuntur; ſecus verò, diſsymbola. Qualitates ſymbolas probabilius eſt, tam in elementis, quam mixtis. V.gr. omnes calores Cœleſtem, Elementarem, et Vitalem, eſſe eiuſdem rationis, ac ſpeciei. Intenduntur enim ſimul, petuntur formaliter ab eodem contrario; et eumdem habent effectum primarium calefaciendi, rarefaciendi, congregandi homogenea, et diſgregandi etherogenea: quod ſi alios effectus diuerſos præſtat calor cœleſtis pro viuentium generatione, et alios vitalis in animali; hoc euenit tum ex diuerſa temperie eorumdem calorum, tum ex conſortio aliarum qualitatum, et diuerſarum potentiarum, ac principiorum ſubſtantialium, quorum ſunt inſtrumenta. Alioquin ipſe calor vitalis eſſet diuerſus ſpecie, in hepate, corde, et ventriculo; nam in his membris operatur diuerſa. Quin imò ignis ab igne diuerſus erit, quia ceram liquefacit, et lutum indurat. *De Elementis vt Miſcibilibus.*

21 Præter has primas actiuas, & paſſiuas qualitates inſunt Elementis ſecundæ, vt propriæ, Grauitas, ac Leuitas, quæ illorum dicuntur virtutes motiuæ, quibus rectà ab intrinſeco feruntur ad ſuas ſedes, quoties ab illis dimouentur. Eſt Grauitas in Terra principium motus deorſum ſimpliciter; in Aqua, ſecundum quid: eſt Leuitas in Igne principium motus ſurſum ſimpliciter; in Aere, ſecundum quid; diuerſæ, vt ad diuerſos terminos determinatæ. Diſtinguuntur realiter à ſubſtantijs elementorum, & à complexione primarum; quia ſæpe primæ variantur, non hæ; vt patet in aqua calefacta; & ſæpe iſtæ mutantur, immotis ſubſtantijs, vt cum terra, & aqua eleuantur in exhalationes, & vapores. Oriuntur per emanationem à formis ſuis ſubſtantialibus, prout diuerſi modè diſpoſitis, producuntur agente alterante. Grauia dum feruntur deorſum, ſæpe ſibi qualitatem impulſiuam, ſeu impulſum producunt: Quod patet, tum quia velocior eſt in fine motus illorum; tum quia quo ab eminentiori loco deſcendunt, eò ſe altius figunt in terram, & maiorem impetum imprimunt in ſubiectum corpus, at fortiùs indè reſiliunt, vel rectà ſurſum, vel ad latus, prout ipſa qualitas impellens recipit nouam directionem motus ab illo obſtaculo; in quod taliter, vel taliter, per hos, vel per illos angulos impingit: non omne tamen corpus reſilit, neque ex omni obſtaculo, ſed id reſilit, cuius partes habent poſſe aliquo modo comprimi, & iterum in priſtinum ſe reſtituere; & ex obſtaculo duro reſiſtente non molle recipiente corpus mobile. Hoc impulſu mouentur *De Grauitate, Leuitate, & Impulſu.*

multò magis elementa, & quælibet alia mixta; quando violenter proijciuntur; neque enim alia commodior cauſa aſſignari poteſt talis motus; cum iam proiectum eſt à proijciente elongatum. Hic violentus motus in medio ſolet eſſe velocior, tum ob aërem accurrentem, & impellentem, tum ob impulſum ſubinde alias particulas ab impulſu productum: qui deinde langueſcit, & tandem totus perit. Verum cum elementa manent in proprio loco, nullo modo grauitant, aut leuitant. Natator enim non percipit pondus aquæ, neque qui eſt in altiſſima Turri aſſcenſum aëris. Sed neque eſt ratio cur grauitent, ac leuitent partes inter ſe, quia vna non eſt alia grauior, aut leuior; neque omnes poſſunt eſſe indiuiſibiliter in ſuo centro, ac loco. Impulſus verò producitur per aliquem motum localem impellentis, & impulſi aliqualiter reſiſtentis, qui motus, vt ſæpe eſt minimarum particularum nonniſi poſt longum tempus fit nobis ſenſibilis. Ita lapis diutius ſuper aſſiculam grauitans, tandem eam frangit; ita tenerum acumen floſculi naſcentis duras glebas, & caprificus ipſum marmor ſcindit, à quo oritur.

De Raro, & Denſo.

22 Habent quoque elementa propriam Denſitatem, ac Raritatem. Denſum verò in concreto dicitur 4. phyſ. tr. 84. quod habet multum materiæ ſub paruis dimenſionibus: Rarum verò, quod habet parum materiæ ſub magnis. Motus ad Raritatem, ac Denſitatem, quæ ſunt qualitates ſpeciei, vt figuræ, dicuntur Rarefactio, & Condenſatio; quas explicamus per penetrationem, & expenetrationem inadæquatam partium materiæ, & formarum inexiſtentium; & per emanationem nouæ quantitatis à materia in rarefactione, quæ deinde deperditur in Condenſatione: Neque enim alio modo explicari poſſunt ad captum intellectus noſtri: neque eſt abſurdum phyſicum, quod quantitas, vt proprietas, emanet ab eſſentia materiæ; quoties expenetrata vi agentis naturalis, vel exigente forma, ſub qua eſt, debet ſecundum ſuas partes occupare maiorem, & nouum locum; neque eſt abſurda penetratio partium materiæ ſub vna, eademque quantitate; de facto enim materia ipſa, & formæ ſubſtantiales partiales, & principalis, & plures accidentales ſub vna quantitate in omnium ſententia penetrantur. Qui verò nobiſcum non philoſophantur in hac re; tenentur admittere aliquod abſurdum phyſicum; vel captiuare intellectum, non in obſequium fidei, ſed Naturæ, aſſerentes, quod eſt imperceptibile. Abſurdum quidem eſt, vel quod quanta ipſa ſe penetrent; vel quod puncta corpora phyſica replicentur, vel exiſtant in loco definitiuè, vt

ſpiritus

ſpiritus; vel quod vnum tale punctum inflatum occupet palmare ſpatium, diuiſibile in plures palpabiles partes, quibus reſpondeant puncti partes, & partes. At verò eſt planè imperceptibile, quod illud corpus, quod adæquatè palmari loco comenſurabatur, vt pars reſponderet parti, & totum toti, ſine exceſſu vllo, ſine defectu; modo vel deficiat abſq. eo, quod pars vlla ſit dempta, aut penetrata; modo excedat, abſque eò, quod pars vlla ſit addita, aut expenetrata, aut replicata. Neque vllum extrinſecum additum, ſiue modale, ſiue reale, poteſt facere, vt phyſicè partes immultiplicatæ commenſurentur partibus pluribus loci, quam ſint ipſæ, aut non demptæ, paucioribus. Imperceptibile quoque eſt, quod omnis rarefactio & condenſatio fiat per intromiſſionem, vel extra miſſionem extraneum corpuſculorum. Quæ quæſo corpuſcula introduci poſſunt, dum Bombarda exploditur, & emittitur ingenti impetu ac fragore globus æneus? quæ dum cucurbitę ęgrotis humeris applicatæ carnem, & ſanguinem cient? quæ in thermoſcopio? In quo Aer, & Aqua incluſa viciſſim occupant maiorem locum, & indicant gradus frigoris hyberni, aut caloris ęſtiui.

23 Elementa, vtpotè actiua, & per ſuas qualitates contraria, poſſunt ita congredi, vt vnum ſubſtantialiter in aliud, tam ſymbolum, quam diſſymbolum immediatè tranſmutetur, quoties in congreſſu alterum ob modiciſſimam reſiſtentiam formalem amittit penitus vnam de ſuis debitis qualitatibus, aut de raritate, de leuitate, ac grauitate, quod illi opus eſt. Ita guttæ aquæ, & puluiculus in fornacem conjecta in ignem vertuntur: Ita titio immerſus in vas aquæ, aut in terram defoſſus, vt expirare non poſſit, tranſit in terram, & aquam. materia enim illa diſpoſitionibus ad ignem neceſſarijs ſpoliatur. neque vlla alia forma eſt informanda, quam illa, vel aquæ, vel terræ, cuius diſpoſitiones ſunt introductæ. Item ignis quotidie in aërem conuertitur, & aer in cauernis ſpongioſis, ac frigidiſſimis in aquam; vnde ſecundum Ariſtotelem origo plurium fontium. *De tranſmutatione Elementorum.*

24 Quod ſi, Cœlo moderante illorum actiones, & per influentias, ac proprias qualitates concurrente, ita congrediantur cum debita proportione, vt per minutiſſimas particulas commiſceantur, & attemperentur qualitates primæ & ſecundæ; vnde reſultet temperies debita alteri formæ ſubſtantiali à formis elementorum, quæ dicitur forma Mixti; non intereunt in congreſſu, ſed formaliter cum qualitatibus quidem proprijs retuſis, ſed ſubſtantijs integris, ſimul manent cum eadem forma Mixti; *De Mixtione, & Mixtis perfectis.*

atque

Digitized by Google

atque ita generantur mineralia, & foſſilia, marmora, lapides in viſceribus Terræ, & alia huiuſmodi per mixtionem horum miſcibilium. Definitur enim Mixtio ab Ariſt. cap. 10. Miſcibilium alteratorum vnio: quæ autem alterata vniuntur, non ſunt corrupta. ſed ſubſtantialiter Mixta non plus inter ſe differrent, quam ipſa corpora ſimplicia elementaria, ſi conſtarent vnica ſubſtantiali forma. Addo quod elementum 5. Met. tex. 4. dicitur id, ex quo inexiſtente fit aliquid, neque ſufficit, quod virtualiter exiſtat, ideſt per ſuas retuſas qualitates, & virtutes: alioquin & ipſum elementum alteratum eſſet verè Mixtum; & animal diceretur Mixtum ex herbis, ac cibis, quibus veſtitur, quia alimenti plures qualitates in alito manent, vt apparet ex carnibus odoriferis, ac ſapidis auium. Dicere autem, quod maneant potentia ex eò quod mixtum poſſit reſolui in ipſa elementa; eſt præbere argumentum pro noſtra ſententia. Nam ſi videremus ex arbore mel fluere; ſi ex vaſe lac; ſi artefactum reſolui in ligna, corium, gluten, & ferramenta, nonne rectè aſſereremus ea præfuiſſe in illis, cum nulla cauſa aſſignari poſſit illorum de nouo productiua? At videmus cadauer reſolui in humorem; in puluerem, in halitus aereos, & igneos: Experimur hoc idem in combuſtione ligni. ſed etiam ex ſilice ignem excutimus; corpora de ſe frigida per meram attritionem, & motum calefacimus; ergo latet ignis in Mixto, qui ex partium attenuatione proſilit, reſtitutus ad propriam temperiem; & cauſa eſt illius caloris. Non ſunt tamen in qualibet particula deſignabili, in qua eſt forma Mixti, omnes formæ elementares; tum quia nulla cauſa illarum efficiens aſſignari poteſt; tum quia ſatis eſt ſi plus vno elemento ſit in quolibet minimo phyſico Mixti, vt verè dicatur; omnis pars Mixti Mixta. Ita neque in qualibet parte Mixti animati ſunt omnes formæ partiales ſubſtantiales carnis, oſſis, &c. ſed ſolum in toto phyſico minimo, quod eſt neceſſarium, vt anima informetur. Verum licet in noſtra ſententia omnia Mixta videantur habere materiam etherogeneam, tamen illud Mixtum homogeneum dicitur, in quo toto vna eſt ſubſtantialis forma Mixti, & ſimilis temperies, & complexio qualitatum; & cuius ſingula minima phyſica eodem modo ſe habent, neque apparet etherogeneitas in vlla parte notabili: illud verò etherogeneum, quod partes notabiles ſubſtantialiter; & accidentaliter diuerſas habet, vt patet in corpore organico Animalis. Temperamentum autem aliud ad iuſtitiam, quod ad exigentiam formarum diſtribuitur cum iuſtitia; aliud ad pondus, in quo qua-

litates

litates contrariæ attemperantur, veluti in lance, vt alteram non excedat in virtute actiua, & reſiſtiuia valde probabile eſt dari huiuſmodi temperamentum in rerum natura ad exigentiam alicuius formæ Mixti. Hæc verò forma Mixti, vt diſpoſitiones, ac qualitates ſibi directè conſeruat, & tuetur à contrarijs; ita, indirectè ſaltem conſeruat, & continet in officio ipſa elementa, pro quorum conſeruatione, ipſa qualitatum combinatio ſufficit in ipſo Mixto; vnde eſt quod modicus calor, & igniculus natiuus piſcis in medio Oceano viuit.

25 Innumeræ verò minutiſſimæ particulæ elementares ab alijs ſeparantur, & continuò exhalant: ex ſicco corpore igneo, & terreo dicuntur exhalationes, & ſpiritus; ex humido aqueo, & aereo vapores, & halitus. Ex his variè commixtis, & accidentaliter affectis ſecundum diuerſam configurationem, denſitatem, raritatem, durationem, illuminationem, accenſionem, & colorationem in hoc, vel illo loco, habentur plura, & diuerſa Mixta imperfecta, quæ non habent propriam ſubſtantialem formam ab elementaribus diſtinctam; quare alterata non habent ab intrinſeco reparare priſtinum ſtatum. Dicuntur Meteora, humida, ſicca, colorata, lucida, & accenſa. Humida quidem, quatenus vapores vi frigoris, vel concreſcunt in guttas Roris; vel decidentes in terram ſucceſſiuè congelantur, & extenduntur in vellus Pruinæ; vel conſtipati opacantur in Nubes, vel diffluunt in Pluuias, vel cum terreſtri portione, ſalnitralis ſpiritus coagulo permixti, rareſcunt in Niuem; vel ſolidantur in glaciem, vel rotundantur in grandinem; vel aliquando dureſcunt in lapides. Vapore etiam cum ſubtili exhalatione corporato Mel gignitur, quod apes ex floribus colligunt; & Manna, ſpecies, vt aiunt, Roris. Lucida verò, & colorata fiunt, quatenus vapores ritè diſpoſiti, perſpicui quidem, & tenues, ſed cum aliqua denſitate, & opacitate recipiunt à Sole lumen, quod vel Iris ex guttulis roſcidis compacta, ſoli oppoſita, ad nos reflectit ſine Solis imagine, vt ſolent plura ſpeculi fragmenta iuxta ſe inæqualiter diſpoſita; vel Pareliæ ſimul cum imagine corporis lucidi Solis reddunt, veluti integrum ſpeculum; vel Halo refractum emittit, vt facit cryſtallum; eſt halo corona circa aliquod aſtrum; vel virgæ. ad ſolis latera protenſæ verſus terram, et vorago in medijs partibus denſior et opacior, reuerberant. Halo, et Virgæ aliquando Iris ſemper variè coloratur ob variam permixtionem lucis, et diuerſæ opacitatis nubis, vt color obſcurior appareat, vbi maior opacitas; et quoniam ex ſphærico

De Meteoris, ac Mixtis imperfectis.

ſolis

ſolis corpore radij circumquaque diffunduntur per roſcidam nubem in circulum; ideò ex eadem nube reflectuntur per angulos ęquales angulis incidentiæ ad oculum; vnde ſemicircularis, et arcuata Iris apparet oculo exiſtenti in linea recta tranſeunte per centra Iridis, Solis, et oculi; quod ſi exiſteret oculus in loco, ſeu linea ſuperiori, videret Iridem ſemicirculo maiorem. Accenſa verò meteora, et ignita fiunt, quatenus exhalationes plures conſtipantur, atteruntur inuicem, per antiperiſtaſim accenduntur, et pro diuerſa configuratione, ac duratione diuerſa ſortiuntur nominá: Ignis fatuus ſuper cœmeteria; Caſtor, Pollux, et Helena in antennis nauium in infima regione. Draco volans, Stellæ cadentes, ſaltantes Capræ, Fulgura Tonitrua, Fulmina in media: Lancea, Ignis perpendicularis, Trabs, Fax, Lampas, Cometæ ſublunares in ſuprema. Poſtremò ſicca ex prædominio exhalationum habentur, vt Terræmotus, et Venti, quorum ſpecies ſunt Procella, Typhon, et Præſter; quatenus plures ſpirationes aſcendunt in cauum nubis, vbi per attritionem, & antiperiſtaſim incaleſcentes rareſcunt, & quærentes maiorem locum, vt pila ex bombarda, vel fulmen è nube verſus terram detruduntur, & gignitur Procella. cum plures huiuſmodi flatus ſibi occurrunt in diuerſa nitentes, in ſe rotantur in gyrum, & vorticem faciunt; ſæpe etiam ſic contortus flatus è nube erumpit, & dicitur Typho abſorbens in Mari nauigia, & in Terra quercus euellens; hi flatus ſi accenſi deſcendant Præſteres appellantur. Venti tranſuerſaliter eflare ſolent, tum ob diuerſos motus, quos habent exhalationes, dum reſiliunt à contrario diſſultanti impetu, & ſe ſe vehementer impetunt ſine ordine: tum quia vt leues aſcendentes ſurſum, & vt contrariæ deiectæ deorſum, ſortiuntur tertium motum tranſuerſalem. Alij verò ſalubres; alij noxii Venti ſunt pro diuerſitate ipſarum exhalationum, & ob affectiones receptas à regionibus per quas tranſeunt, & ab aſtris, à quibus ſæpiſſimè excitantur. Terræmotum pari modo efficiunt exhalationes ſubterraneæ; quatenus coadunatæ in magna copia, & per attritionem, vel antiperiſtaſim, vel ignes ſubterraneos accenſæ, vel calentes, quærunt maiorem locum; vnde quatiunt magno impetu Terram obſiſtentem, & ſibi ruinis etiam ædificiorum exitum faciunt. Ex hac quoque materia halituum diuerſorum proximè gignuntur mixta perfecta inanimata, præſertim foſſilia, & mineralia in viſceribus Terræ, quæ habent propriam formam ſubſtantialem, per quam diutiùs in ſuo eſſe conſeruantur, & alterata reparant ſuas

qua-

qualitates. Diuiduntur mineralia à Recentioribus in quinque genera, in Terras inſignes, Succos concretos, Lapides, Metalla, & ex his mixta. Terræ inſignes dicuntur, quæ aliquo ſapore, aut colore, aut peculiari aliqua qualitate inſignuntur. Succus concretus eſt foſſile facilè humido reſolubile, quod non lenteſcit malleo: alius macer ex liquore, vel permixto cum terra vt ſal, & nitrum, vel cum aliquo metallo vt chryſocolla cum auro; vel cum alio mixto, vt alumen, & attramentum ſutorium; alius pinguis, vt ſulphur, & bitumen. Lapis ex halitu ſicco, & terreo prædominante beneficio caloris coquentis, & frigoris conſtipantis genitus ob ſiccitatem friatur; & teritur, dum partes diſſolutæ diſcontinuantur, & rediguntur in puluerem. Lapis nitens lucidus, ac coloratus dicitur gemma, & ob raritatem in pretio, pretioſus. Metallum ex halitu humido, & aqueo prædominante calore coctum, & frigore coagulatum; vnde malleo ductile eſt, & igne liquabile, ſeu fluxibile in liquorem, quatenus partes ſibi cohærent etiam ſolutæ; et continuatæ fluunt. Reliqua mineralia vel leuioribus ictibus conteruntur, vt alumen, et Marcheſita, vel attrectatione, et calore molleſcunt, vt bitumen, et attramentum ſutorium, vel ſoluuntur humido ſimul, etteruntur ictibus, vt Sal, Terræ, ac Pulueres colorati; vel teruntur ictu; et igne liquantur in vaſe, vt ſulphur.

EX VIVIDO ET VITALI SINV
QVINTA MARGARITA
EX LIBRIS DE ANIMA.

Ex lib. de Anima. 1 ANIMA l. 2. tex. 6. per habitudinem formalem ad corpus, vt ad compartem materialem, definitur: Actus primus corporis phyſici organici potentia vitam habentis: ideſt apti per certa inſtrumenta, et proprias qualitates ad functiones vitæ: ſeu quod formaliter per animam fit vita. Eſt enim vita ſubſtantialis effectus formalis Animæ, ſub termino quodam comparatus ad concretum, ſeu compoſitum viuens, & animatum, vt Humanitas ad Hominem; & eſt ipſa Natura integra Viuentis, & adæquatum ſubſtantiale principium intrinſecum vitalium operationum, quæ dicuntur Vita accidentalis, ſeu vita in actu ſecundo: Per habitudinem actiuam ad has operationes tex. 24. definitur etiam Anima; id, quo viuimus, ſentimus mouemur, & intelligimus primò: diuiſiuè intellige non copulatiuè, quaſi omnia hæc deberent haberi, vbi eſt Anima. *De operatione vitali.* Eſt autem Operatio vitalis natura ſua actio immanens, qua viuens operatur in ſe, & circa ſe per certa idonea inſtrumenta, & certo ordine, perficiens formaliter ipſum viuens, à quo eſt, & in quo recipitur, perfectione illi indebita ratione ſuæ primæ natiuitatis. Ea vero creatura, quæ ſic conſtituere poteſt ſe in ſuo actu vltimo proportionato, dicitur participare Vitam Dei, qui per ſe ipſum ſemper eſt in ſuo actu vltimo perfectiſſimo. Triplex autem eſt vitalis operationis ſpecies pro triplici modo, quo fit, ſupra operationes non vitales perfectiori. Primo quidem per organa corporea intus ſuſcipientia alimentum, ſeu materiam proportionatam, quam deinde coquit, & diſtribuit, & tranſmutat per qualitates materiales, & corporeas, calorem, & temperamentum primarum, atque ita viuens ſe promouet ad vlteriorem perfectionem, vel reparans deperditas partes, ſe conſeruat; vel procurat propagationem ſuæ ſpeciei: Hæc operatio non tranſcendit quoad ſubſtantiam operationes elementares, ſed ſolum quoad modum; Secundo per organa corporis medijs

 quali-

qualitatibus quodammodo incorporeis, ſcilicet formis ſubtilioribus, & abſtractioribus à craſſitie materiæ, quales ſunt ſenſationes Brutorum, & ſpecies intentionales: & hæc operatio etiam quoad ſubſtantiam eſt ſupra operationes elementares, primas, & materiales. Tertio per qualitatem ſpiritualem abſtrahentem à materia; ſine vllo organo corporeo, vt ſubiecto immediato, receptiuo; quare huiuſmodi operationis principium dicitur inorganicum, vt eſt Anima rationalis reſpectu intellectionum, ac volitionum. Hinc aqua, dum reparat ſuum frigus, vel dum per innatam grauitatem deſcendit, non mouetur vitaliter, quia non habet ſic ab intrinſeco moueri exiſtens in ſuo ſtatu naturali; ſed ſolum, extra illum violenter poſita. Neque Ignis, aut Metallum, aut lapis in fodinis vitaliter augentur; quia augmentum non fit per certa inſtrumenta, & certo ordine, ac termino, ſuſcipientia intus alimentum, ſed fit per meram iuxta poſitionem ſucceſſiuam materiæ, vnde talis accretio abire poteſt in infinitum, niſi deſit conuertibile, ait Ariſt. lib. 2. hic t. 41. eſt enim huiuſmodi actio potius tranſiens propagatiua ſpeciei, quàm immanens naturalis, nam ex vi illius non coniungitur paſſum cum agente, ſed per accidens, quatenus eſt homogeneum, & proximè fit. Metaphoricè igitur dicitur de Igne, Lapidibus, et Metallis aliquibus, quod nutriantur, viuant, creſcant, pariant, ſeneſcant, moriantur; quatenus per extrinſecam additionem materiæ, et detractionem, ac deperditionem partium perfectiorum imitantur aliquas operationes viuentium.

2 In ordine porrò ad tres dictas operationis vitalis ſpecies habetur trimembris diuiſio Animarum in Vegetatiuam, Senſi- *De triplici gradu Viuentis.* tiuam, et Rationalem: quarum vna quia per potentiam perfectiorem, et proprium modum operandi nobiliorem, veluti per gradus ſupra alteram aſcendit, et conſtituit ſuum viuens perfectius non viuente, et ſupra aliud viuens, rectè aſſignatur triplex genus; ſeu potius gradus viuentis; Vegetatiui, Senſitiui, et Intellectiui; ſcilicet Plantarum, Brutorum, et Hominis, ſupra gradum corporis: In his enim clariſſimè patet quidam modus ab intrinſeco operandi altior, quam ſit in elementis, et mixtis alijs inferioribus. Dicitur autem gradus prædicatum tranſcendens, quod eſt ad differentias in perfectione ſubordinatas; per quas ſemper ad maiorem perfectionem, dum contrahitur, aſcendit: Genus verò eſt ad differentias oppoſitas non ſubordinatas, nec aſcendentes: genus à ſpecie nunquam ſeparari poteſt;

Digitized by Google

gradus imperfectus à perfecto poteſt. Ita Vegetatiuus eſt ſine Senſitiuo in Plantis: et ſenſitiuus ſine rationali in Brutis. Immo per hanc ſeparabilitatem multiplicantur gradus: non enim quælibet diuerſitas vitalis operationis, et potentiæ inducit in Naturam nouum gradum viuentis, ſed illa, quæ in aliquibus ſubiectis, indiuiduis inuenitur ab alijs ſeparata: quare neque potentia appetitiua, licet in modo operandi proprio diuerſa ſit à cognoſcitiua, conſtituit à gradu cognoſcitiuo ſpecialem gradum viuentis appetitiui; neque ſpeciale genus Animæ, naturæ, ac principij intrinſeci; quia nunquam inuenitur ſeparata à potentia cognoſcente proportionata, cuius conſortio indiget natura ſua: ita neque potentia generatiua addit in Natura nouum gradum, quia eſt ſemper cum vegetabili; neque loco motiua, quia ſemper cum appetitiua, cui inſeruit, vt animal ſe tueatur à contrario refugiens, et alimentum quærat pro fame, et ſiti pellenda. Motus enim, licet imperfectiſſimos ſolius cuiuſdam dilatationis, & conſtrictionis, qui apparet in vermiculis, cum punguntur, indicat in illis eſſe aliquem actum Phantaſiæ, & Appetitus, nempe ſenſum doloris. Ariſtoteles verò claritatis cauſa, non neceſſitatis, in ſecunda definitione Animæ appoſuit diſtinctè potentiam motiuam, vt in viuente oſtenderet aliam eſſe a motiua grauium, & leuium.

De Potentijs Animæ in communi.

3 Potentiæ Animæ diſtinguuntur ab anima, in qua radicantur, per ſolam diſtinctionem rationis ratiocinatæ: realiter enim ſi diſtingueretur Anima rationalis à ſuis potentijs, eſſet in homine, vt ſtipes, & Pater-familias ſine intellectu, & voluntate. Igitur eadem entitas Animæ, vt corpus informat, Anima eſt, & formaliter animatum facit; vt in illo operari poteſt, eſt Potentia; ita ipſa entitas caloris formaliter facit ſubiectum calidum: & eſt in illo potentia calefaciendi aliud. Neque potentiæ ab Anima ſeparantur, aut remittuntur intrinſecè; ſed ſi aliquando videtur aliqua potentia indiuiſibilis Animæ variari; tota mutatio habetur extrinſecè in organo corporeo, vel alterato, vel læſo; quo indiget ad actuale exercitium operandi: qua ratione vſus intellectus impeditur in amente, & puero. Neque pro diſtinctione potentiarum facit diuerſitas operationum, aut indifferentia ad illas; alioquin ipſe quoque intellectus multiplex eſſet, & multiplex voluntas pro diuerſis, & oppoſitis actibus aſſenſus, & diſſenſus, amoris, & odij, &c. Eadem igitur Anima determinatur cum hoc vel illo corporeo organo, cum his, aut alijs ſpeciebus propoſiti obiecti, concauſis, aut conditionibus circa hoc

obie-

obiectum, vel aliud has, vel illas diuerſas operationes. Diuerſificantur verò ſpecie logica inter ſe Potentiæ, & logicè multiplicantur, in ordine ad diuerſa hæc organa; & diuerſos actus immediatè; prout iſti actus ſub diuerſa ratione reſpiciunt ſuum obiectum, vel ad illud tendunt modo diuerſo: Diuerſi enim actus reſpicientes obiectum ſub vna communi ratione, & eodem modo tendentes ad illud ſpecificant vnicam potentiam, non logicè multiplicat. verò vitales diuerſificantur ſpecie inter ſe, ex diuerſo motiuo formali; & ex diuerſo modo tendendi in idem obiectum, vt aſſenſus, et deſſenſus intellectus circa idem; quin etiam per ordinem ad diuerſa obiecta materialia ſub eodem motiuo formali, et per ordinem ad diuerſa principia, à quibus vitaliter ſunt; ita diuerſus eſt actus, quo credo Deo Vnum, et Trinum, ab actu, quo credo Incarnationem ob idem motiuum formale Reuelationis Diuinæ; ita etiam viſio eiuſdem obiecti à Bruto, et ab Homine ſpecie diuerſa eſt: ſunt enim entitates relatiuæ, quæ ſpecificantur ab illis terminis, quos eſſentialiter, et natura ſua reſpiciunt.

4 Animę Plantarum, et Brutorum, etiam perfectorum materiales ſunt, et exigitiuę materiæ, cui coeſtenduntur, et à qua fieri conſeruari, et operari verè pendent, vt à cauſa materiali ſuſtentante, et cum illa diuiſibiles ſunt in partes entitatiuas, et integrales, vt cœteræ formæ materiales. certè inſecta, et annuloſa, vt Vermes ſi diuidantur, adhuc per multum tempus mouentur: quod ſi perfecta diuiſa, vt equus, non dant ſignum vitæ, eſt quia perfectior Anima ad functiones vitæ vt conſeruetur plura organa exigit. Hinc etiam Lacertam ſi in longum ſcindas, penitus perimis; petit enim Anima materiam ſufficienter organizatam; vt ſuis accidentalibus diſpoſitionibus taliter affectam volunt cœteræ formæ, quæ non ſunt Anima, vt conſeruentur in illa. Qui autem animam brutorum indiuiſibilem putant, tenentur aſſerere rem materialem exiſtere in materia modo ſpirituali totam in tota, et totam in ſingulis partibus illius vel deſtrui priorem; et nouam animam indiuiſibilem generari à ſe ipſa, quæ deſtruitur. Eſt enim nutritio actio vitalis, facta ab ipſo viuente: ad quæ phyſica abſurda compelluntur ſine ſufficienti motiuo. Iſtæ verò partes Animæ homogeneę ſunt in ſingulis partibus corporis: non enim diuerſitas organica, aut diuerſitas operationum ſufficit ad hoc vt ponantur etherogeneæ; tum quia ipſa quoque Rationalis Anima, quæ eſt indiuiſibilis, exigit partes iſtas organicas; et vt aliqui uolunt, diuer-

De diuiſibilitate, & homogeneitate Animarum materialium.

diuerſos modos vnionis cum illis ad diuerſas operationes, et idem principium poteſt habere diuerſos effectus ratione diuerſi ſubiecti: Ita Sol niuem ſoluit, lapidem colligit; tum quia Anima eſt vnus Actus corporis organici; at ſi haberet partes heterogeneas, eſſet aggregatio actuum diſcontinuatorum, quia diuerſæ rationis non continuantur; et nullus ſingillatim acceptus, eſſet Anima; quia non eſſet actus corporis organici; ſed informaret ſuam homogeneam materiam; vt forma ligni, ſuam.

De corpore organico, & organizatione.

5 Corpus organicum, domicilium Animæ, eſt compoſitum ſubſtantiale ex materia prima determinatis accidentibus diſpoſita, et ex formis diuerſis ſubſtantialibus partialibus eidem Animæ ſubordinatis, ſcilicet radicum, trunci, foliorum in vegetantibus; et in animalibus carnis, oſſis, neruorum, ſanguinis, etc. Non enim minus inter ſe differunt iſtæ partes cum proprijs accidentium combinationibus; quas alteratæ reparant, quam inter ſe differant lignum, et ferrum, oleum, et vinum. Hæc verò differentia haberi non poteſt per eandem, tum quia, vel indiuiſibilis, vel homogenea non videtur poſſe tot effectus formales diuerſos ſubſtantiales facere; tum quia habentur eędem partes organicæ ſine anima, in fœtu nondum animato, et in cadauere ab anima relicto: neque formaliter tales ſunt per formas embryonis, et cadaueris: cum enim non ſint Animæ actus organici corporis, non eſt credibile quod exigant materiam ſic organizatam; et cum ſufficiant partiales ſubſtantiales, ſine neceſſitate finguntur iſtæ, quarum non eſt aſſignare in Natura cauſam productiuam, & corruptiuam: niſi velis innumeras cauſas mortis naturalis habere vim eandem producendi formam cadaueraceam.

Huiuſmodi verò organici corporis partes aliæ ſimilares, aliæ diſſimilares, aliæ conſiſtentes ſunt; ac ſolidæ, aliæ fluuidæ, & molles; variæ ad varias vitæ functiones accommodatæ; ad Vegetationes, Senſationes, & Motus. Firmatur, vt in baſi, Animal ſolidis oſſibus, & quidem pluribus diſcretis per articulos ſimul iunctis, capite vnius ſubintrante ſinum alterius, vinculis & mollibus cartilaginibus benè colligatis; tum ne cogeretur moueri totum ſimul, vt ſtatua, tùm vt flecti poſſet in omnem partem abſque eò quod oſſa ſeiungerentur, aut attererentur: carne etiam circumueſtiuntur, ne in caſu contundantur. Eſt autem pro Vegetationibus venter inferior, in quo eſt ventriculus in modum peræ paſtoritiæ, culina animalis; ſunt inteſtina tenuuia,

nuuia, & craſſa, meſenterium ſugens ſuccum ex illis; & deferens in venam portam, quæ ingreditur in cauum Hepatis, quod ventriculo ſuperponitur, vt officina, in qua conficitur ſanguis, cuius vaſa deferentia ſunt venæ, quarum maxima, quæ dicitur Caua ex gibba hepatis oritur, & inde diuiditur in duos truncos ſuperiorem, & inferiorem innumera venarum propagine per totum corpus diſtributos. Sunt etiam expurgationem ſanguinis tria inſtrumenta folliculus fellis, Lien, & Renes. Folliculus dextro cauo Hepatis implantatus trahit ad ſe bilem, quam exhuberantem demittit in inteſtina; Lien à ſiniſtris ventriculi ſugit melancholiam; Renes, vtriuſque lateri vnus, ſeroſum humorem; quem per vreteres efundunt. Supra inferiorem eſt venter medius, ſeu Thorax, in quo Cor calidiſſimum, et pulmones cordis ventilabra, qui aerem inſpiratum deferunt per arteriam venoſam in ſiniſtrum. Cordis ventriculum, vbi elaboratur ſanguis et perficitur in partes tenuiſſimas, ac ſubtiliſſimas, quæ dicuntur ſpiritus vitales; horum propria vaſa ſunt arteriæ membranoſæ, venis firmiores, quarum præcipua dicitur Magna, et Aorta, quæ nata ex eodem ventriculo cordis diſpergitur per corpus in varios ramos ſubter omnes fermè venas, quaſi ignem moderatum illis ſubijciens ad bonam ſanguinis coctionem pro nutritione membrorum. Atque ita hic venter inſeruit Vegetatiuæ, vt etiam Senſitiuæ, ſuggerens eoſdem ſpiritus Capiti, quod eſt ſupremus venter pro ſenſationibus habendis, et motu; in ipſo enim eſt Cerebrum officina ſpirituum animalium qui conficiuntur ex ſpiritibus vitalibus per arteriam particularem à corde in ſinus cerebri delatis, quatenus innatis qualitatibus cerebri vitalis tranſmutantur in animales, quos non puto vitales eſſe accidentaliter ſolum temperatos per cerebri frigiditatem, nam vt frigidiores, deberent eſſe pigriores, et craſſiores vitalibus calidiſſimis, et tamen ſunt viuaciores, ac ſubtiliores, ita vt pro vaſe ſit illi opus neruo valde denſo, ac firmo, per quem deferuntur ad inſtrumenta idonea pro ſenſationibus, et motu. Oriuntur autem ex medulla cerebri, cerebelli, et ſpinę dorſalis nerui bini, et bini, per organis ſenſuum, oculorum, aurium, narium, palati, & muſculorum implantantur, et per plures ramuſculos diſperguntur. Ad motum inſeruiunt etiam tendones firmiores ex plurimis fibris concreti, et muſculoſa carne benè compacti. Sunt in corpore fibræ rectæ, obliquæ, tranſuerſæ, attrahentes, retinentes, expellentes; ſunt valuulæ in Oeſophago in venis, in inteſtinis, in corde quæ clauduntur, et reſeran-

ſerantur, vt opus eſt; ne receptus humor egeratur, ne expulſus iterum ingeratur. Cor autem, vt aërem à pulmonibus in ſiniſtro, et ſanguinem ex Caua in dextro ventriculo recipiat; mucronem ſuum rectis fibris ad baſim retrahit, et fit cor latum, et veluti ſphæricum, et dicitur moueri diaſtole; vt verò ſpiritus elaboratos è ſiniſtro in Aortam, et ſanguinem è dextro ventriculo in pulmones per venam arterioſam effundat; à baſi mucro diſcedit laxatis rectis, et tranſuerſis fibris arctatis, et cor elongatur, & conſtringitur, & dicitur moueri ſyſtole; quam motus alternationē ſecutus ſpiritus in arterijs diffuſus pulſum facit. Sunt membranæ tunicæ, panniculi membrorum nobiliorum inuolucra Men inges cerebri dura, & pia; pericardium cordis; peritonæum inteſtinorum, pleuris coſtarum, & totius corporis cutis, & cuticula. Sunt ſepta diuidentia vnum membrum ab alio, quorum præcipuum eſt Diaphragma diuidens inferiorem ventrem à medio, & munus carneus diuidens ſinus cordis. Sunt humores quatuor præcipui ſanguis, Bilis flaua, Bilis atra, ſeu Melancholia, & Pituita; ſubtiliores, ac perfectiores diſperguntur cum ſanguine in venis: imperfectiores in proprijs vaſis continentur flaua in folliculo, atra in Liene: ſunt etiam partes aliquæ excrementiæ vtiles, vt capilli, & vngues; aliquæ inutiles, quæ eijciuntur. Plura apud Anatomicos.

De Animatione corporis. 6 Inter has partes organicas principatum obtinet Cerebrum; quia eſt organum nobiliorum operationum; ſiquidem in ipſo animales ſpiritus elaborantur ad ſenſationes nobilioris vitæ, ac Animæ: in animali verò, in quo non eſt cerebrum, eſt aliquid æquiualens. In organizatione corporis, quæ pro mari dicitur confici circa 40. dies, pro fœmina 80. ſimul primò delineantur, vt ad vitam neceſſariæ, principaliores partes, Hepar, Cor, & Cerebrum; perficitur verò primò Hepar, vt eſt facilioris texturæ. Organizatione completa animantur omnes partes vnica anima, quæ illis debetur: Neque enim primò fœtus animatur Vegetatiua, deinde Senſitiua, poſtremò Rationali: eadem enim Anima Rationalis eſt ſimul ſentiens, & vegetans: ſenſitiua etiam vegetatiua, cum in ſtatu perfecto, ac conſiſtente eſt animal; ad quid ergo ſucceſſiuè ponuntur iſtæ animæ in fœtu animando? quod ſi initio non poteſt exercere Rationalis niſi operationes Vegetatiuæ; hoc prouenit, quia deſunt diſpoſitiones neceſſariæ in organis ad ſenſationes, & ratiocinationes, quas etiam in amente, & puero ob hunc defectum non exercet. Deinde ſi initio fieret præſens vegetatiua ſola, cur debet perire adue-

ueniente ſenſitiua, cum adhuc maneant ad illam diſpoſitiones; & adhuc fiant vegetationes? Si autem perit, quia ſufficit ad vegetationes ſenſitiua, cur hęc igitur initio non fuit producta? Actu autem ſimul ponere plures animas in eodem homine, præter quam quod videri poteſt contra dogma fidei, arbitrarium propè eſt, & contra rationem: Nam idem poteſt eſſe principium plurium operationum; vt eſt ſol Metallorum, & viuentium: et Deus omnium creaturarum, et idem Intellectus aſſenſus; et diſſenſus, et eadem vegetatiua augmentationis, et nutritionis omnium partium; ergo eadem anima poterit eſſe principium vegetandi, ſentiendi, et diſcurrendi, quod idem eſt, ac dicere, poſſe eſſe Animam vegetatiuam, ſenſitiuam, et rationalem in ſua indiuiſibili perfectione: quod experientia videtur confirmare; quatenus operationes vitales ſe mutuo impediunt; nam et ſenſuum operationes perturbant intellectiones, et aſſidua contemplatio nutritionem. Ergo ſunt ab vno principio, quod quia limitatæ virtutis, pluribus intentum, minus eſt ad ſingulas.

7 Non reſidet autem Anima in Cerebro, aut corde, aut aliqua alia parte determinata, vt Rex, aut Auriga, aut, vt alij dicunt, vt araneus accurrens huc, et illuc prout opus eſt; ſed eſt in ſingulis partibus, in quibus exercetur aliqua operatio vitalis, quæ eſt notum indicium vitæ. Inter partes animatas videntur eſſe numeranda medulla dorſi, et cerebri quod habet, vt Cor, ſuam ſyſtolem, ac diaſtolem; oſſa, dentes, capilli, vngues, pennæ, roſtra, cornua, ſemina Plantarum, vitelli ouorum. Nutriuntur enim alimento, intus ſuſcepto per certa organa, vel foraminula, vel diſperſas venulas, et arteriolas, et creſcunt ſeruata certa figura, et ad certum terminum magnitudinis; et per fibras, ac radices cum al.js partibus continuantur. Oſſa, præſertim dentes, videntur etiam habere aliquem ſenſum duri; et mollis, frigidi, et calidi. Capilli, ſi in cadaueribus creſcunt, vel id faciunt tunc per iuxta poſitionem materiæ, vel in corpore, vt herbæ in terra, viuunt anima propria Vegetatiua, quæ adhuc durat; triſpantur ob anguſtias, vel obliquitatem pororum, è quibus naſcuntur; colorantur ex diuerſa materia vaporoſi, ac fuliginoſi excrementi: quo nutriuntur, ex diuerſo temperamento cutis, magis, aut minus calido; nigreſcunt enim ex aduſta, flaueſcunt ex bili minus cocta, albicant, ex debilitate caloris. Semen vero, vt apparet in pluribus præſertim in nucleo nucis pineæ viuum germen continet rudimentum totius plantæ, quod vbi calido, et humido excitatur, incipit virere, et creſce-

De ſede Animæ & partibus animatis.

 re,

re, ac ſe dilatare in ſuas partes: viuit fortaſſe deciſum ſine operatione vlla vitali; cur enim non poteſt eſſe principium vitæ in actu primo ſiue actu ſecundo per aliquod ſaltem tempus? nunquid flos à ſuo caudice reciſus ſtatim emoritur? Humores verò non animantur: non enim habent vllum indicium operationis vitalis; non continuantur in corpore, ſed continentur in vaſis, & partes ſunt integrales corporis ſecundariæ, ſcilicet neceſſariæ ad animalis conſeruationem, vt alimentares, præſertim ſanguis, qui inſuper in ſciſſione venæ continuatur cum extra venam fluente, certè non viuo: Motus autem ſanguinis accurrentis ad faciem ſurſum, deorſum eſt ab extrinſeco, nempe ab Anima informante alias partes, quatenus illum venarum fibras vi imaginationis, ac appetitus contrahens, ac laxans, huc, vel illuc ducit; quo pacto etiam alimentum ex ventriculo ad os reuocatur. Capilli quoq; ob extrinſecam contractionem cutis eriguntur in attonitis. Circularis verò motus ſanguinis, ne in venis putreſcat, aut grumeſcat, receptus jam apud Recentiores à corde ad cor redeuntis; habetur, quatenus per ſyſtolem pellitur ſanguis è ſiniſtro ventriculo, & per diaſtolem iterum in dextro recipitur ex caua, in quam minores venæ intulerunt receptum ab arterijs per poroſitates carnis, vel vaſorum anaſtomoſim cum impetu exeuntem; niſi enim ſic circulariter ſanguis, cum perpetuo pulſu cordis emittatur, vel inanis eſſet, vel ceſſaret motus cordis ex defectu ſanguinis in venis, vel quia arteriæ nimis turgidæ eſſent incapaces noui ſanguinis recipiendi. Hoc etiam patere videtur ex eo, quod venæ intumeſcant in manu infra ligaturam, non ſupra, & ex eo quod ex vna vena ſecta totus ſanguis animalis effundi poſſit: quod docet Haruæus l. de motu cordis haberi beneficio Valuularum ſemilunarium.

De Anima Vegetatiua.

8 Vegetatiua principium vegetationum, tres præcipuas potentias habet ad illas, Nutritiuam, Augmentatiuam, & Generatiuam; per quas ex alimento parato, & concocto viuens ſe vitaliter conſeruat, auget, & in ſpecie propagat: quatenus Nutritione reſtaurat partes deperditas, Augmentatione promouet ſe ad debitam ſibi magnitudinem per additionem nouæ materię quantæ; & elaboratione partis ſubſtantialis, cui vis indita eſt organizandi corpus, generat ſibi ſimile. Quare nutritiua, & Augmentatiua eſt in omni parte viuentis animata. Generatiua verò in particulari, in qua conficitur dicta ſubſtantia ſementinæ virtutis. Famulantur his potentijs facultates, Attractiua, Retentiua, Digeſtiua; & Expulſiua ad elaborandum, & diſtri-

ſtri-

ſtribuendum alimentum, vt opus eſt.

9 Alimentum autem, ſeu materia, circa quam occupantur potentiæ Vegetatiuæ, eſt quid proportionatum naturæ viuentis, & aptum craſſeſſere, & cohærere, ac tranſmutari in ſubſtantiam aliti: neque enim quodlibet ex quolibet nutritur; & ſæpè quod vni eſt nutrimentum alterabile, vt cedat in ſuam ſubſtantiam, alteri eſt vel venenum alterans, vt perimat; vel medicamentum alterans, vt ſanet. Alimentum aliud proximum, aliud eſt remotum: proximum vniuerſale; & principale in animalibus ſanguineis eſt ſanguis, dulcis; nutrimur enim dulci; ſanamur amaro; & natura ſua calidus; eſt enim vita in calore: facilè tamen congelatur extra venas, quia fibroſus eſt, & diuerſimodè alterabilis, potens craſſeſſere, & ſolidari pro diuerſitate partium nutriendarum. Oleum etiam natura calidum facilè concreſcit. Reliqui humores aliquibus partibus ignobilioribus pro alimento proximo eſſe poſſunt, vt lieni atra bilis, ventriculo chylus: exanguibus verò quidam humor eſt proportionalis ſimilis ſanguini, in vegetantibus ſuccus ex terra, & aqua confectus per radices intus exceptus. Remotum alimentum, quod ab extra trahitur à viuente, eſt mixtum corpus ſubſtantiale, & aliquibus imperfectis, vt anguillis, ac teſtaceis etiam elementum, vt eſt apud nos, in ſincerum. ijs enim nutrimur, quibus conſtamus. *De Alimento.*

10 Nutritio porrò eſt actus vitalis, quo ex intus ſuſcepto alimento certa methodo, & per certa organa adgeneratur noua ſubinde ſubſtantia animata cuilibet parti ſenſibili aliquotæ in locum deperditæ. Hæc autem phyſica mutatio, quia fit inſenſibiliter, ſeruans eandem figuram, & ſimilitudinem partium, moraliter cenſetur nulla; ideò animal dicetur eſſe idem numero in ſenio, qui erat in exordio vitæ; remanent etiam partes eædem primigeniæ principaliores, ac ſolidiores, quibus fit additio aliarum, vt apparet in cicatricibus, ac næuis ſemper in eodem ſitu. In homine perſeuerat eadem quoque anima indiuiſibilis, quæ præſens fit nouæ materiæ. Nutritio ideò neceſſaria animali, quia calor intrinſecus agit humidum ſubſtantiale radicale, quod ſibi aſſumit in pabulum, vt ſolet flamma oleum lucernæ. Membra hoc humido deſtituta alium humorem ſugunt ex venis, hæ ex hepate, hepar ex meſeraicis, meſeraicæ ex inteſtinis, hæc ventriculo, cuius orificium ſuperius maximè contrahitur, & corrugatur non ſine moleſta ſenſatione, qua excitatur Phantaſia, vt cibum ſolidum, vtilem ad illam pellendam pro- *De Nutritione.* *De fame & ſiti.*

ponat Appetitui, qui ſtatim illum appetit; qui appetus ſicci, & calidi, ideſt proportionati alimenti ſolidi pro ſolidis partibus reſtaurandis, dicitur ab Ariſt. Fames. Succus etiam viuenti neceſſarius, vel ob defatigationem, & ſudorem, vel calorem nimium, vel eſum ſalſi cibi conſumitur; vndè areſcunt membra, & pari modo fit corrugatio in Ventriculo, in Oeſophago, in faucibus, & oritur appetitus potus, ſeu humidi, & frigidi, qui dicitur Sitis: & indè vis motiua incitatur ad quærendum cibum, & potum. Vbi verò calor nimius humidum totum abſumit, vel nimium humidum extinguit calorem, ſequitur Mors naturalis ex principio intrinſeco. Poteſt tamen viuens ſine remoto alimento per multum tempus viuere; glyres enim dicuntur per ſex menſes dormire, & pingueſcere: habent enim humidum viſcoſum, quod diù reſiſtens modico calori, tandem reſoluitur in adipem, & pinguedinem. poteſt etiam per tempus breue ſtare ſine proximo, quia poteſt eſſe in æquilibrio vis reſiſtitiua humidi, & actiua caloris; & tunc erit ieiunium ſine macie; cœterum ſolet eſſe ſemper cum macie.

Quomodo fiat Nutritio.

11 Ad ipſum verò nutritionis actum tres præcipuæ coctiones præcedunt in animali, & plures alterationes, & ſegregationes partium alimenti. Primo cibus dum atteritur in ore, & Oeſophago tantiſper colore, & ſapore immutatur, & in ventriculum demittitur, vbi fit prima coctio, quatenus vis illius digeſtiua per calorem adiutum à circumſtantibus membris Hepate, Liene, cyſti biliaria, omento, & corde, redigit illum in vnam maſſam liquidam lacteam, quæ dicitur chylus; quem deinde per pylorum, ſeu orificium inferius demittit in inteſtina, relictis cruditatibus, ſeu partibus alimenti incoctis, vt excrementis primæ coctionis. In inteſtinis tenuibus receptus chylus dum per illorum anfractus diù immoratur, magis coquitur; tum à Menſenterio per innumeras venulas meſeraicas exugitur, & partes inutiles; ac craſſiores ſegregatæ, vt fæces, demittuntur in craſſa inteſtina; & chylus in meſeraicis eruditur in ſanguinem, recipiens aliquem ruborem, & dicitur chymus; quem deinde meſeraicæ effundunt in Portam, vt radices in ſuum truncum; & hæc defert ad Hepar; in cuius ſubſtantiam latè diſpergitur: atq; hic habetur ſecunda coctio, in qua perficitur in ſanguinem, flauam, & atram bilem, ac pituitam, primos humores alimentares benigniores, aereum, igneum, terreum, & aqueum: Et ſegregantur inutiles partes: nimis acres, igneos mordaces exugit folliculus fellis à dextris; & colligitur bilis excrementitia, quam

ſe

ſe exonerans, demittit in inteſtina, vt irritamentum facultatis expultricis: & fœculentiores, ac terreſtriores per ſphæricum ramum attrahit Lien à ſiniſtris; & adunatur melancholia ſuperflua, & qua ſe expurgat, tum per hæmorroidales, cum remittens ad ventriculum recoquendam; quæ ſua acrimonia ſæpè corrugans illum, videtur excitare famem. Confectus ſanguis per venam cauam emittitur ab Hepate in reliquas venas, quæ per totum corpus propaginantur, expurgatus à nimio ſeroſo humore, quem à caua emulgentes venæ ſugunt, & deferunt ad Renes, vbi percolatur, et per vreteres ſuperfluus eijcitur. In venis maioribus beneficio etiam caloris arteriarum, venis ſubiectarum, cum alijs humoribus primis magis excoquitur; et antequam fiat nutritio, alteratur in ſecundos humores, ſeu humiditates; primo enim in venis exilibus, et capillaribus, in quas effunditur à maioribus, tantiſper albeſcit, et dicitur humor albus. Secundo, liberatur ab ipſis venis, exſudans in guttas rorantes, quibus inſperguntur ſuperficies membrorum, et dicitur Ros. Tertiò recipitur in poris eorundem membrorum, in quos capillares deſinunt, et ibi addenſatus roſcidus humor accipit qualitates ſimiles, quas habet pars alenda, et dicitur Cambium, quod loco deperditæ partis ſufficiatur. Quarto fit Gluten, humor adhæreſcens, et tenax proximè diſpoſitus ad ſubſtantiam partis alendæ, in quam tandem tranſit, et fit tertia coctio, et ipſa Nutritio, quæ eſt ſubſtantialis mutatio alimenti in ſubſtantiam aliti. Huius coctionis excrementa ſunt, quæ per os, et nares ſuperflua cerebri eijciuntur, et quæ per cutis ſpiracula euaporant: et ſudores, reliquiæ ſeroſi humoris, qui illuc euectus tenui bile perfuſus, naturaliter amandatur; ſudor verò ab extrinſeca excitatus exercitatione, vel ambiente calido, non eſt purum excrementum; ſed etiam aliquid vtilis humoris effunditur, vnde ſequitur debilitas in animali. Coctio autem eſt actio, qua calor abſumit humorem nimium fluxum, et aqueum, et attenuat nimium terreſtre, ac ſiccum, vt melius ſimul conſiſtant, corporentur, et craſſeſcant ad perfectionem propriam talis mixti. Corporis verò humidi coctio ſi fiat per calorem humidum, non pinguem, dicitur elixatio, ſi per calorem humidum pinguem, vt olei bullientis, dicitur frixio; ſi per calorem ſiccum eſt aſſatio; in qua magis abſumitur humidum, et partes externæ, conſtrictis poris incruſtantur; res porrò non habens humidum, vel valdè conſtipatum cum ſicco, vt lignum, non coquitur, ſed vritur. Coctio naturalis in nobis ſi bona eſt, ſimilis eſt elixationi, qua ſo-

lidæ partes cibi immiſcentur cum aliquo humido; ita carnes in olla cum humido aqueo lixantur.

De Augmentatione.

22 Augmentatio eſt actio vitalis, quà viuens intus ſuſceptum alimentum conuertit in ſuam ſubſtantiam, quam continuat cum præcedenti, & ſe promouet ad vlteriorem magnitudinem ſibi debitam, occupans maiorem locum, retenta propria figura ſecundum latum, & longum, quam illi primo indidit vis formatiua. Augmentatio formaliter videtur terminare potius ad quantitatem, quam ad ſubſtantiam, habens de ſe extendere ſubſtantiam per productionem nouæ quantitatis proportionaliter, vt non viuentia extenduntur per rarefactionem; in pueris enim febricitantibus, vbi modica copia alimenti eſt, maior fit augmentatio per meram extenſiouem oſſium; vnde fortaſſe dixit Ariſt. tr. de Generane tex. 25. circa ſubſtantiam generatio eſt, quæ circa magnitudinem augmentatio. Hinc circa 25. annum homo ceſſat augeri in longum, quia oſſa facta ſunt dura, & non amplius extendibilia: & pori ſuſcipientes alimentum iam multiplicati, & dilatati ſunt, quantum exigit complexio talis viuentis & calor per ætatem ſiccior minus extendit, ac dilatat partes heterogeneas ſenſibiles, ſecundum quas viuens augetur. Quare videtur Augmentatio differre ſpecificè à Nutritione, quæ pro termino formali ſubſtantiam habet: quamquam non ſit improbabile accidentaliter ſolum differre per quandam denominationem diuerſam, quatenus augmentatio etiam terminans ad ſubſtantiam, connotat plus ſubſtantiæ acquiri, quam quod ſit deperditum; iuxta communem modum loquendi, quo dicitur, Viuens ſubſtantialiter auctum.

De Maximo, & Minimo naturali.

23 Habet autem omne Viuens ſuum terminum magnitudinis intrinſecum, quem naturaliter non excedit; vt etiam terminum paruitatis, infra quem naturaliter eſſe non poteſt: quod experientia docet, & Ratio, nam ad functiones vitæ cum opus habeat inſtrumentis certis, hæc tam magna nimis, quam nimis exilia inepta ſunt ad illas. Quæ aptitudo eſſet ad loquendum in lingua protenſa, vt eſt Iſthmus Corinthi? Sed cenſeo etiam non viuens habere terminum paruitatis, non tamen terminum intrinſecum magnitudinis: Qualitatem autem habere tam terminum intenſionis, quam remiſſionis intrinſecum. Quare admitto tam in quantitate, quam in qualitate minima phyſica, quibusquid minus ſeparatum ab omni alio exiſtere naturaliter non poteſt, eo quia res quælibet phyſica eſt limitatæ perfectionis intrinſecæ; & ſic per minima hæc facilius ſaluatur in-

inceptio, & deſitio rerum naturalium, & terminus intenſionis, ac remiſſionis qualitatis in ſubiecto.

14 Generatio actus potentiæ generatiuæ eſt proceſſio viuentis à viuente per principium coniunctum in ſimilitudinem naturæ, ſaltem in genere proximo. Quare generatio vermium ex carnibus non eſt actus huius Animæ; tum ex defectu ſimilitudinis; tum quia eſt effectus accidentarius ex cauſis per accidens coniunctis. Coniungitur autem Generans cum Genito in creatis per particulam ſubſtantiæ habentis vim ſeminalem organizatiuam corporis, quam in ſe ex inſtituto Naturæ elaborat, ac perficit in hunc finem. Hæc vis in aliquibus plantis, ac floribus viuit diſperſa per totum illorum corpus, itaut quilibet ramuſculus defoſſus in terram germen emittat. *De Potentia Generatiua.*

15 Anima ſenſitiua eſt primum principium ſenſationum, appetitionum, ac motus localis, ſeu operationum vitalium circa ſenſibilia. Tres habet potentias Senſitiuam, ſeu cognoſcitiuam, Appetitiuam, & Motiuam. Senſitiua res ſenſibiles accipiens, alia externa diuiſa in quinque vulgatus ſenſus, Viſum, Auditum, Olfactum, Guſtum, Tactum; alia interna in quatuor diſtincta Senſum communem, Phantaſiam, ſeu Imaginationem, Aeſtimatiuam, quæ in homine dicitur Cogitatiua, & Memoriam. Appetitiua commodum ſuo ſubiecto appetens, & incommodum fugiens, diuiditur in concupiſcibilem, qua excitatur Motiua ad fugam Mali, & inconuenientis apprehenſi; ad acquiſitionem boni conuenientis, ac remotionem impedimentorum. Hæc motiua; ſi perfecta ſit, habet motum progreſſiuum de loco ad locum, ſi imperfecta motum ſolum dilatationis, ac conſtrictionis, vt patet in quibuſdam vermibus. Hæ autem potentiæ ad conſeruationem vitæ perfecti animalis ſic ſubordinantur in ſuis actibus. Senſus externi obiecta percipiunt: Horum omnium actus, & obiecta, dum ſenſiuntur, apprehendit, ac diſcernit ſenſus communis; ſenſata ſemel in abſentia apprehendit Phantaſia: diſcernit in illis quid vtile ſit quid commodi, quid incommodi Aeſtimatiua ſub ratione hac conuenientiæ, & diſconuenientiæ inſenſata; qui actus neceſſariò conſequitur ex poſito phantaſmate ſine vllo diſcurſu imperfecto, ſed ex ſolo inſtinctu Naturæ. Memoria conſeruat in abſentia obiecti, ſpecies illius ſenſati, & actuum, etiam ſub ratione dicta inſenſata, vt ſic Appetitus moueri poſſit ad boni conſecutionem, & fugam mali. Actus Concupiſcibilis ſunt Amor, Deſiderium, Delectatio, quæ eſt ad præſentiam poſſeſſi boni, *De Anima ſenſitiua.*

Odium,

Odium, Fuga, Triſtitia, quæ eſt ad præſentiam mali ineuitati. Actus Iraſcibilis ſunt quinque, Spes, Deſperatio, Timor, Audacia, Ira: conatur enim tollere arduitatem, & difficultatem, quæ eſt in bono adipiſcendo, vel vitando malo à ſe apprehenſo.

De ſenſorijs ſenſuum externorum. 16 Potentiæ organicæ diſtinguuntur ſpecie in ordine ad diuerſos actus, & diuerſa corporis organa, quæ dicuntur ſenſoria. Porrò ſenſorium Viſus eſt oculus, cuius præcipuæ partes ſunt tres tunicæ, & tres humores. Prima tunica dicitur Dura, & cornea prognata ex prima tunica nerui optici, quæ eſt ex dura meninge cerebri; altera dicitur Vuea ex ſecunda eiuſdem nerui, quæ naſcitur ex pia meninge; tertia dicitur Retina ex ipſa ſubſtantia nerui. Primus humor copioſus eſt vitreus, alter cryſtallinus figuræ lenticularis fermè in meditullo oculi, quem tegit pellicula dicta Aranea, reliquum ſpatium occupat humor aqueus. Viſio fit in Retina, tum quia animata eſt, tum quia terminat, ac recipit ſpecies obiectorum, quæ ingrediuntur per foramen Vueæ, ſeu pupillam, quæ vt in tenebris dilatatur, & conſtringitur in luce; multum patitur ex repentino tranſitu à tenebris ad lucem: per cryſtallum refranguntur, ac decuſſantur radij ad debitam viſionem in eum modum, quo ingreſſæ ſpecies per foramen feneſtræ, cui appoſita ſit cryſtallus lenticulata, in obſcurum cubiculum recipiuntur in muro, vel pagella. Duplex licet viſio ſit, tamen fit vna vnius obiecti, quia linea vnius & alterius oculi, ſeu axis vtriuſque viſionis in idem punctum medij, & obiecti concurrit; quod ſi non concurrat ob compreſſionem vnius oculi, vel alia de cauſa multiplicatur obiectum viſum. Organum Auditus eſt Auris, cuius præcipuæ partes ſunt denſa membrana cum corda, tria oſſicula, incus, malleus, & ſtapeda, & aër internus, quem dicunt innatum, & implantatum, & poſt hunc pellicula valdè ſicca, & tenſa auditorio neruo coniuncta complens tympanum auditorium; in qua recipitur, & ſiſtitur ſonus delatus per aerem internum. prima enim membrana pulſatur à ſonora qualitate per extrinſecum aërem delata, malleo percutitur incus, & aër innatus interceptus frangitur, per quem ſonus, vel ſpecies ſoni peruenit ad dictam pelliculam, in qua tandem formaliter fit Auditio. Sonus etiam fit ex colliſione duorum corporum ſolidorum verberantis, & verberati reſiſtentis, & fractione tertij corporis intercepti præſertim aëris, in quo producitur, & per quem vndulantem defertur ſonus ad aurem. Organum olfactus formale, in

quo fit olfactio, ſunt carunculæ mamillares Naſi in confinio narium, & cerebri exiſtentes papillarium ſimiles. Organum Guſtus, in quo fit guſtatio eſt tota lingua, & præſertim apex illius, palatum, & gula. Organum Tactus, qui diſpergitur per totum corpus, eſt cutis, caro, & neruus: difficilè tamen eſt ſcire, an neruus ſolum, an caro cum neruo immediatè ſentiat; ſunt enim qui dicunt carnem ſpoliatam neruo non ſentire, neruum verò nudatum carne ſentire, vnde volunt neruum ſentire per carnem, tanquam per medium coniunctum, vt caro ſentit, & cutis per mediam cuticulam; licet enim tactus fiat ſine medio extrinſeco, non fit tamen ſine intrinſeco ipſi tangenti.

17 Senſoria verò ſenſuum internorum cum communiori ſic ſtatuo. Cognoſcitiuæ reſident in ſubſtantia cerebri, in qua conficiuntur animales ſpiritus: ſenſus communis propè ſiniſtrum ventriculum in parte anteriore, ex qua originem ducunt nerui deferentes ſpiritus ad ſenſus externos, quibus debet eſſe propinquior. Phantaſia propè ventriculum dextrum paulò ſuperiorem ſiniſtro, vt faciliusab illo recipiat ſpecies. Aeſtimatiua propè tertiam cellulam in ſummitate cerebri in medio capitis. Memoria propè quartum ventriculum in poſteriori parte cerebri, ſeu in cerebello ſita eſt. Temperamentum pro ſenſu communi, & bona Phantaſia eſt calidum, & ſiccum; eſt enim facultas fictrix, inuentrix, & celer; pro Aeſtimatiua, ac bono ingenio frigidum, et ſiccum, ſeu melancholicum melancholia dulci, et tenui in ſubtili cerebri ſubſtantia. pro Memoria bona humidum, et calidum humiditate aërea, ſeu pingui, et viſcoſa; ita facilius recipiuntur ſpecies, et diutius conſeruantur; in ſicco enim difficilè imprimuntur, in humido aqueo, et fluxili facilè elabuntur; hinc eſt magna diuerſitas Memoriæ; et hinc eſt quod difficulter inuenitur, qui polleat memoria, ingenio ſimul, et imaginatione. Appetitiuæ verò reſident in corde, quod proinde, dum inſurgunt motus Appetitus, dilatatur gaudio, et amore, conſtringitur triſtitia, et timore, et feruet ira. Motiua verò in muſculis, neruis, ac tendonibus reſidet, quibus attractis, et laxatis promouetur animal de loco ad locum. Ita per reſpectum ad diuerſos actus, et diuerſa organa diuerſificantur iſtæ potentiæ; et ſi quæ læditur, iuuari poteſt medicamentis, quæ proprium organum curent.

De ſenſorijs ſenſuum internorum.

18 Senſibile per ſe obiectum ſenſuum, eſt accidens corporeum ſingulare quod immediatè ſeipſo, vel media ſui ſpecie à ſe producta aptum eſt aliquem ex vulgatis ſenſibus immutare,

De ſenſibili proprio, & communi.

re, et cum illo concurrere ad ſenſationem. Subſtantia non eſt niſi ſenſibilis per accidens, quatenus coniuncta cum ſenſibili per ſe. Hoc autem aliud eſt proprium, quod ab vnico ſenſu ſenſatur: aliud commune, quod à pluribus. Senſibilia autem propria ſunt quinque; Lux et color viſui; qualitas ſonora Auditui; Odor olfactui; ſapor Guſtui, qualitas tangibilis Tactui, ſub quo genere veniunt qualitates primæ contrariæ, et ſecundæ grauitas, leuitas, denſitas, raritas, durities, mollitudo, lenitas, aſperitas, et ſimiles. Communia ſenſibilia item quinque recenſentur, Magnitudo, Figura, Quies, Motus, Numerus. Quilibet autem ſenſus habet ſuam voluptatem, et ſuum dolorem, ex ſenſatione obiecti conuenientis, et oblectantis, vel inconuenientis, et inferentis, vel diuiſionem, vel alterationem læſiuam organi, et temperamenti proprij; hac enim apprehenſa, et appetitui propoſita ſequitur in ipſo appetitu triſtitia de malo, et delectatio de bono. Excellens verò ſenſibile, ideſt cum exceſſu, ſenſum lædit.

De ſpeciebus intentionalibus.

19 Ex potentia, & obiecto pariter notitia, ſeu ſenſatio: quare cum ſenſibile coniungi non poteſt cum ſenſorio immediatè ſecundum eſſe reale, coniungitur cum illo ſecundum eſſe intentionale, ſeu per ſpecies ſui, quas producit per medium in potentia ipſa: quod naturaliter fermè ſemper accidit, nam inter ſenſibile, & ſenſorium intercipitur aliquod medium, vel extrinſecum ſenſui, vt aër, & aqua; vel intrinſecum, vt cuticula reſpectu tactus: illud verò dictum: ſenſibile ſupra ſenſorium non facit ſenſationem, valet de viſu, cuius actus fiunt per lineas, & radios viſuales ex obiecto illuſtrato; qui haberi non poſſunt ſine aliquà diſtantia: cæterum non eſt vniuerſaliter verum, vt apparet ex guſtu, ex contactu carnis decorticatæ, & ex tinnitu aurium. Igitur ſenſibilia propria, cum non poſſint immediatè coniungi cum potentia, habent à ſe emittere per medium permeabile ſpecies ſui ſenſibiles, quæ dicuntur impreſſæ, quia potentiæ imprimuntur; & ſunt qualitates intentionales virtualiter repræſentatiuæ ſuorum obiectorum; ſeu virtuales illorum imagines, ac ſimilitudines, formale complementum ſeu determinatiuum potentiæ ad ſenſationes, quæ dicuntur ſpecies expreſſæ, & formales imagines obiectorum, quas ſic completa, & determinata potentia in ſe format, ac elicit circa talia ſenſibilia, ſi actu animus aduertat: ipſæ verò ſpecies ſiue directæ, ſiue reflexæ non percipiuntur, vt quod, ſeu vt obiectum, à potentia; ſed ſunt id, quo potentia percipit ipſum obiectum tali, vel tali modo,

do,

do, per lineam directam, vel reflexam. Senſibilia communia non habent proprias ſpecies; ſed ſpecies proprij obiecti, quia ab illo exeunt, vt ab exiſtente in re in ſuis circumſtantijs modificato; illud etiam in concreto, ſic modificatum repræſentant, ſecundum figuram, molem, ſitum, diſtantiam, & motum, aut quietem. Vt verò materiales ſunt, ita ſunt ſubiecto, & organo, in quo recipiuntur, coextenſæ, & diuiſibiles tam in eſſendo, quam in repræſentando, vt tota ſpecies totum, & pars partem obiecti repræſentat. Eſt enim ſpecies eſſentialiter repræſentatiua ſui obiecti à quo eſt, & conſeruatur: cum autem pars, A, non producat ſpeciem partis B; neque hæc ſpeciem partis A. non poteſt ſpecies A, repræſentare partem B. neque ſpecies B partem A; & de facto ſi partem A. auſers, vel impedis, ne ſui ſpeciem emittat, hæc non repræſentabitur à ſpecie partis B. vt apparet ex ſpeculo, ſi te illi offers, medietate vultus velo contecta. Neque eſt ratio dicendi, quod tota ſpecies indiuiſibilis producatur ſubinde noua ad omnem variationem obiecti. Ergo producuntur diuiſibiliter à ſingulis obiecti partibus minimis ſenſibilibus (debent enim habere aliquam molem) & quidem ſphæricè in quolibet puncto medij ſine confuſione; quæ deinde terminantur pyramidaliter ad ſenſorium, in quo recipiuntur. His ſpeciebus, & actibus ſenſuum externorum excitantur, & determinantur ad ſuos actus Interni ſenſus ob ſympathiam, & contenſionem ipſorum actuum, et ob identitatem eiuſdem Animę operantis in quolibet ſenſorio. Illis ergo poſitis vt conditionibus, ſenſus agens, et patiens producit, ac recipit in ſe ſpecies ſenſibiles, ſeu Phantaſmata, quibus coniungitur cum obiectis ab externo iam ſenſatis, vt de illis eliciat formales cognitiones, ac expreſſiones illorum. Species enim coloratæ non perueniunt ad organa ſenſus interni, quia non niſi per diaphanum tranſeunt, et qualitas tangibilis v. gr. calor non percipitur per intermedias partes inter manum calefactam, et cerebrum. Conſeruantur verò in Phantaſia, et Memoria huiuſmodi phantaſmata, quibus recordamur de habitis ſenſationibus circa obiecta. Sæpè autem in ſomno, dum externi ſenſus colligati ſopiuntur, excitantur phantaſmata, agitantur ac coniunguntur; vnde tam varia, et ſæpè ridicula ſimulacra nobis apparent in ſomnijs, quæ ſunt operationes Phantaſiæ, et ſenſuum internorum. Somnus autem quoddam vinculum externorum oritur ex euaporatione poſt ſuſceptum alimentum, qua impediuntur ſpiritus animales, ne exeant ad externos ſenſus; quare etiam ob defatigationem,

corpus his deſtitutum ſpiritibus; facilè per ſomnum, in quietem, ac ceſſationem ab opere, ſponte ruit. Excitamur vero à ſomno, cum calor natiuus abſumpſit, vel attenuauit vapores occupantes meatus ſpirituum, qui liberati redeunt ad organa ſenſuum; ad quæ etiam accurrunt excitati, vel ob dolorem repentinum, vel percuſſionem acceptam, vel magno ſtrepitu pulſante tympanum; vnde ſtatim euigilamus.

De ſenſibus externis, & illorum actibus.

20 Senſus externus non percipit negationes, quia non veſtiuntur vllo accidente ſenſibili; indirectè verò illas cognoſcit; quatenus hic et nunc potentia neceſſaria non impedita eliciens hunc actũ circa hoc obiectum, non alium circa obiectum, quod ibi non exiſtit; exercitè cognoſcit negationem illius per eũdem poſitiuum, quem circa aliud elicit; ita dicuntur videri tenebræ, cum non habetur actus viſionis lucis à potentia diſpoſita. Phantaſia verò etiam in Brutis negationes cognoſcit; quatenus præhabita aliquando ſpecie de ſenſationibus alicuius rei hic et nunc determinatur vel immediatè ad cognoſcendam negationem talis ſenſationis, ac proinde rei ſenſatæ; vel mediatè cognoſcendo res alias, non vero eam, quæ appetitur; Leena v.gr. plura alia videns, ſed non catulos ſuos, horum carentiam percipit. Atque hoc fit vel propter feracitatem potentiæ habentis poſſe vti ſpecie vnius ad cognoſcendum id, quod aliquo modo eſt coniunctum cum alio directè cognito, vel propter ipſas ſpecies, quæ habeant etiam tale coniunctum repræſentare indirectè, & & in obliquo; ita ſpecies vrbium viſarum me determinant ad cognoſcendam vrbem, numquam viſam. Hoc verò iudicium ſeu actus ſenſuum non eſt quidam imperfectus diſcurſus; hic enim cum habeat conferre vnum cum alio, & ſententiam ferre de connexione vtriuſque, opus eſt perfectioris potentiæ, quam ſint ſenſus externi, & interni; ergo ſimplici actu, dum exercitè cognoſcunt ſe ab obiectis immutari diuerſo modo, diſcernunt etiam diuerſa talia obiecta; & internus eodem actu, quo rem cognoſcit, exercitè etiam iudicat de illa, vt ſibi conuenientem, aut diſconuenientem, vtens eadem ſpecie obiecti ab externo ſenſati ad rem cognoſcendam ſub ratione etiam inſenſata, v. gr. ſpecie Lupi viſi ab oue ad cognoſcendum Lupum, vt tale animal, & vt ſibi inimicum, qua excitetur appetitus ad timorem, & Motiua ad fugam; vel habet poſſe ſpecies inſenſatas ſibi producere, vt aliqui volunt, ſicut habet ex duobus ſimplicibus ſenſatis aliam componere; vel ex illis vnum actum elicere componentem v.gr. aureum montem. Iudicia ſenſuum externorum

nun-

nunquam falſa ſunt circa ſenſibile proprium in communi, neque enim poteſt oculus attingere ſapidum pro colorato; ſed in particulari falli poſſunt, & præſertim circa communia; & circa hæc ſæpius, quia non mouent ſpecie propria, & aliqua ſunt cum proprio accidentaliter valdè connexa. Habetur aliquando ſenſatio falſa ex parte potentiæ læſæ, vt cum ab ægroto amarities ſentitur ex cibo non amaro. In hoc ſenſu verum eſt illud Ariſtotelis: intus exiſtens prohibet extraneum. Sæpius tamen ſenſus fallitur ratione ſpecierum, quæ concurrunt ad actum; cum enim iſtæ in repræſentando poſſint ex varijs circumſtantijs alterari tranſeuntes per diuerſa media, per cryſtalla concaua, vel conuexa, ex varia diſtantia, ac ſitu diuerſimode poteſt potentia determinari, & facilè ad actum falſum, qui repræſentet obiectum tale, quale in re non eſt: ita remus rectus exiſtens partim in aqua partim in aere apparet curuus, quia ſpecies refractæ ad oculum veniunt; ita colores varij apparent in collo columbæ, quia lux columbam taliter ſituatam, ferit, vt ſpecies emittat repræſentantes colores; quos certè non omnes apparentes puto; aſſero enim permanentes eſſe qualitates realiter à luce diſtinctas genitas ex permixtiones elementorum ſecundum eorum perſpicuum, et opacum diuerſum. Neque enim adduci poſſum, vt credam tot colores; et tam varios in vno flore pingi ab vna, eademque luce, qui ijdem videantur noctu, ac interdiù in quocumque ſitu, et ad quamlibet debitam diſtantiam. Et tamen lux, nobiliſſima qualitas, neceſſaria, vt illuſtretur obiectum coloratum ad hoc, vt per ſuas ſpecies potentiam moueat ad viſionem eliciendam, quæ non eſt emiſſio ſpirituum vſq; ad obiectum, in quo fiat formalis viſio quot enim ſpiritus neceſſarij eſſent ad videndum Cęlum? Habet poſtremò vt proprium Phantaſia vim commouendi ſpiritus, et humores excitans Appetitiuam ob ſympathiam, et ſubordinationem, quam hæc cum illa habet, vndè exortum eſt non rarò verum, illud dictum. Imaginatio facit caſum. Hinc nouæ illæ maculæ, ſignaturæ, quæ ſæpè fœtui in vtero matris imprimuntur. Matris enim Phantaſia ſpiritus, ac humores commouet, quos appetitu iubente defert motiua ad vterum, vbi vis efformatiua membrorum fœtum ſignat; prout dirigitur à Phantaſia per ſpecies rerum imaginatarum tanquam per propoſitum exemplar; ad cuius ſimilitudinem exeunt notati partus.

21 Anima Rationalis eſt ſubſtantialis forma vera corporis humani per quam conſtituitur homo in tali gradu Viuentis rationalis, *De Anima Rationali.*

tionalis, quod haberi non poteſt per meram Animæ aſſiſtentiam; Cœli enim per aſſiſtentem Intelligentiam non dicuntur viuere, ac intelligere. Anima rationalis eſt ſpiritualis intelligens obiecta ſpiritualia Deum, et Angelos, et rationes vniuerſales, et abſtractiſſimas entis; licet pro ſtatu vnionis cum corpore, indigeat ſpeciebus, et phantaſmatibus corporeis adminiſtris; vt determinetur ad ſuos actus; et hinc eſt, quod per analogiam ad res corporeas, concipiat res ſpirituales; de quibus tamen eleuata ſupra ſenſum, fert hoc iudicium, illas eſſe res incoporeas, et altiòris ordinis ab omni ſubſtantia quantitati ſubiecta. Addo quod homo per Animam eſt capax dominij, virtutis, ac vitij moralis, amicitiæ Dei, et vitæ æternæ, pro quibus neceſſariæ ſunt intellectio, et volitio, et potentiæ ſpirituales inorganicæ de ſe ab omni materia corruptibili independentes in fieri, conſeruari, et operari cum dominio ſuorum actuum. Hinc ſequitur eſſe indiuiſibilem in partes integrales, ac proinde non coextendi materiæ corporeæ diuiſibili, ſed in illa eſſe definitiuè, vt Angelus in loco, totam in tota, et totam in ſingulis illius partibus.

De Animæ immortalitate.

22 Rationalis Anima natura ſua eſt immortalis ipſa in plerìſque Philoſophorum, & hominum exiſtens depurata à vitijs, vbi ſe agnoſcit, apertè clamat ſe immortalem eſſe; immortalitatem, vt ſibi bonum, cognitam, appetitu innato, & elicito appetens, & quietem, quam hic non inuenit, ſemper in bonis temporaneis irrequieta, & fameſcens, exoptat. Habet operationes proprias dè ſe independentes ab omni corruptibili materia ſcilicet volitiones, & intellectiones, quas etiam ſeparata à corpore (neque enim tunc ſtipes eſt) poſſit exercere, quod patet etiam in extaticis. Simplex, & indiuiſibilis non poteſt diſſolui in partes, neque naturaliter deſtrui: deberet enim annihilari, & deſinere eſſe per meram influxus conſeruatiui ſubtractionem quæ vis non ineſt Agenti naturali creato. Verum, quia iuſtus Deus, & ſapiens, Anima immortalis eſt punienda pro vitijs, & præmianda pro virtutibus in altera vita; in hac enim bona eueniunt malis, & mala bonis. Diuina etiam gubernatio inſipienter ordinaſſet media ad finem, ſi vellet virtutem ſectantes malis accipere; & niſi pro pœna ignis æternus, & pro præmio æterna vita maneret, Diuina Sapientia ſufficienter non prouidiſſet pro virtute, & Honeſtate habenda, & extirpanda in honeſtate, & vitio: nam plerique contemnerent temporalem pœnam futuram, vt præſenti bono delectabili, ac geniali fruerentur; & ipſum quoque contemnerent Iudicem pœnas decernentem. Non

enim

Digitized by Google

enim haberet homo ſufficiens motiuum alliciens à bono delectabili, ac præſenti ad arduam virtutem, & honeſtatem; neque ſufficiens motiuum retrahens ab inhoneſtate armata bono præſenti, ac ſenſuali contra virtutem, et honeſtatem. Quin immò infeliciſſimum animal eſſet animalium Dominus Homo, natura ſua conſtitutus, ac determinatus ad ſe odio habendum, et ad virtutem, honeſtatemque amandam, à qua nulla vtilitas, et pro qua magna vitæ incommoda cum morte ferenda ſibi eſſent et omnia alia bona deſerenda; quibus deinde pro virtute exantlatis, vita cum magno labore finiretur, vt belluina, tranſacta tamen fœlicius.

23 Animæ Rationali tres potentiæ inorganicæ Intellectus, Voluntas, et Memoria communiter aſſignantur. Intellectus, poſitis phantaſmatibus, et ſenſationibus internis, vt conditionibus determinantibus potentiam, ob conſenſionem operationum, producit ſibi ſpecies intelligibiles, ſpirituales qualitates obiectorum virtualiter repræſentatiuas cum quibus elicit intellectiones, quæ ſunt vitales actus ſpirituales, et obiectorum formales imagines, et actuales expreſſiones, quæ ſufficiunt ſine vllo verbo mentis, quod ſit terminus illarum. Intellectus verò vt producit has ſpecies intelligibiles, et ipſas intellectiones, dicitur Agens, vt recipit, dicitur Paſsibilis: quas etiam ſpecies, vt conſeruat dici poteſt intellectiua: Memoria recordamur enim rerum intellectarum ab omni ſenſu abſtractarum, et ſpiritualium. Habet autem intellectus pro obiecto ſuo adæquato ſecundum totam latitudinem ens, ſpirituale, et corporeum, ſingulare, et vniuerſale; quin immò etiam negationes, et non entia, et impoſſibilia; hæc verò vel per ſpecies alienas, nempè poſitiuorum, connotantur extrinſecè ab ipſis, ſecundariò cognoſcuntur; vel per ſpeciem particularem, quam rei inſenſibilis ſibi producit intellectus determinatus à ſpeciebus ſenſibilium, atque in hoc ſenſu verum eſt illud dictum: Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu. Obiectum vero, ſeu cognitum primum cognitionis primæ directè quando intellectus eſt tabula raſa, eſſe aſſero accidens ſingulare maximè commune, ſeu proprium corporis, ideſt eſſe quantum. Hoc enim magis mouet ſenſum, à quo immediatè pendet in primo ſuo operari intellectus. Quæcumque enim cognitio ſit licet valdè debilis, et de obiecto remotiſſimo ſemper certificabit intellectum, quod ſit hoc quantum aliquo modo demonſtrabile digito. Ratio verò generica

De Potentijs Animæ & de Intellectu.

cor-

corporis abſtracta eſt primum obiectum cognitionis primæ à ſingularibus abſtrahentis; præcedere enim debet cognitio ſingularium ad abſtractionem rationis à ſingularibus, niſi ab ignotis velis abſtrahere. Duplex porrò cognitio competit intellectui noſtro imperfecto in hac vita; altera intuitiua exiſtentium ſingularium immediatè à ſenſibus cognitorum per ſpecies proprias, quæ pendent à præſentia obiecti in propria exiſtentia, de qua formaliter intellectum certificat intuitiua cognitio, vt faciunt cognitiones ſenſuum de obiecto præſenti; altera abſtractiua præſcindens à præſentia, exiſtentia, ac ſingularitate obiecti per ſpeciem particularem, quæ habet ſic abſtractum obiectum virtualiter repræſentare; per hanc abſtractiuam fit obiectum vniuerſale, obiectum ſcientiarum, ſeu cognitionum euidentium diſcurſiuarum. Cum enim actus ſcientificus debeat reddere ſcientem imperturbabilem, non poteſt id aſſequi, niſi obiectum habeat aliquam neceſſitatem eſſendi, quale repræſentatur. hanc autem habet ſecundum prædicata eſſentialiter connexa, ſpoliata circumſtantijs contingentibus ſingularitatis, et exiſtentiæ; in quo ſenſu obiectum ſcientiarum ab Ariſtotele dicitur neceſſarium, & æternum. In abſtractione verò non eſt falſitas, quia abſtrahentium nullum eſt mendacium; neque enim obiecto infigitur prædicatum indebitum, neque aufertur debitum. Triplici autem modo ad obiectum ſe habet Intellectus: primo actu ſimplicis apprehenſionis, nihil, affirmans, nihil negans de obiecto, ſed illud ſolum exprimens. Secundo actu Iudicij ferentis ſententiam de apprehenſo obiecto; aliquid affirmans, vel negans intentionaliter ſeparans, vel reoniungens prædicatum, & ſubiectum. Tertio actu diſcuſus, quo vnum iudicium infert ab alio ex vi huius iam lati ob connexionem, quæ intercedit in obiecta vtriuſque, vel abſolutè, vel ex ſuppoſitione.

De Voluntate. 24 Voluntas altera potentia propria Animæ Rationalis ab Intellectu diſtinguitur tum ex diuerſo formali obiecto, tum ex diuerſo modo tendendi in illud: Formale obiectum voluntatis eſt Bonum ſaltem apparens, ad illud tendit ferens ſe veluti extra ſe, actu proſecutiuo, vel actu auerſiuo ab illo ſe retrahens. Obiectum verò formale intellectus eſt verum: quod trahit ad ſe, quatenus, vt dixi, ſpecies illius in ſe format, & ſibi in ſe illud repræſentat. Formaliter libera eſt voluntas; pòſitis enim omnibus requiſitis ad operandum, vt

expe-

experimur, poteſt, vel non operari, vel oppoſitum operari. Inter autem requiſita ad hanc indifferentiam voluntatis, eſt cognitio Intellectus illi proponens bonitatem obiecti cum aliqua admixtione mali, ſi enim ratio puri boni ſola proponitur, ad amorem; ſi puri mali, ad odium determinatur, vt apparet in actibus primò primis neceſſarijs. Hinc denominatio liberi adæquatè licet intrinſeca actui libero, tamen quia relatiua eſt ad principium indifferens, vt ad conditionem requiſitam, variari poteſt in eodem actu, ſi maneat eadem entitas à principio influente, & merè deſit vna ex duabus cognitionibus; quarum altera malitiam, altera bonitatem obiecti repræſentabat; à qua pendet ſecundum talem perfectionem denominationis liberæ. Imperat voluntas alijs potentijs politicè, non deſpoticè; neque enim ex mero imperio poteſt impedire actum intellectus directè circa obiectum euidens, & prima principia. neque viſionem oculi diſpoſiti circa coloratum illlum inatum; ſed indirectè alio potentias diſtrahendo. Appetitus ſenſitiuus, Lex illa de qua conquæritur Diuus Paulus in membris noſtris repugnans Legi mentis noſtræ, non diſtinguitur realiter à voluntate, vt Intellectus non diſtinguitur à Phantaſia, ſed ipſa Anima, prout organicè operatur, inclinans naturaliter in obiectum delectabile, quod vt ſenſibile magis trahit ad ſe animam cum ipſo organo ſumpta ſenſitiuus Appetitus dicitur; ſecundum ſuos neceſſarios actus etiam Brutis communis.

25 Ex actibus frequentatis tam in Intellectu, quam in Voluntate, gignitur quædam facilitas, quam experimur eliciendi actus ſimiles in ſcientijs, & in virtutibus moralibus; quæ facilitas communiter vocatur Habitus Naturalis acquiſitus. Hic Habitus in Intellectu conſiſtit in ſpeciebus intelligibilibus relictis confirmatis, & intenſis. In Voluntate verò, & Appetitu probabilius eſt conſiſtere in ſuperaddita qualitate inclinante potentiam ad illos ſimiles actus circa iam ſæpius volitum, & appetitum obiectum. Non enim ſufficere videntur ſpecies intelligibiles in intellectu, aut ſenſibiles in Phantaſia, etiam per actus experimentales ipſius voluntatis, ac appetitus præhabitæ, ad eam magnam inclinationem, qua experimur, ceu quodam pondere nos trahi ad amorem boni præſertim delectabilis, vt ſæpè quis putet phyſicè non poſſe ab illo ſe abſtinere; licet per bonos diſcurſus *De Habitibus intellectus, & Voluntatis.*

acquiſierit oppoſitas ſpecies intelligibiles, & clariſſimè cognouerit rem oppoſitam eſſe Rationi, Animæ noxiam, & Corpori. Quod ſi aliquando dum exercemur ſæpius circa aliquid minus nobis placens, non Habitum, ſed auerſionem maiorem acquirimus, eſt quia, vt ad Habitum requiritur quædam indifferentia ad modum operandi, ita etiam quædam complacentia; alioquin cur verè ex relictis ſpeciebus non eſt acquiſita talis facilitas? Habitus autem tam Intellectus, quam Appetitus in nobis ſufficit ad habendam eam facilitatem, quam experimur in alijs potentijs exequentibus, remoto per exercitium ſuorum actuum impedimentum, & attenuata quadam viſcoſitate organorum facultatis motiuæ, vt hæc appetitui promptius obediat.

EX METAPHYSICO SINV

SEXTA MARGARITA

EX METAPHYSICIS.

1 METAPHYSICA Theologia naturalis, eſt ſcientia ſpeculatiua, cuius obiectum attributionis adęquatum eſt ens reale poſitiuum, vt cognoſcibile per principia inſenſibilia, à quibus ſanus intellectus penetratis terminis reſilire non poteſt: vt: idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe; aut: neque eſſe, neque non eſſe: ſed quodlibet eſt, vel non eſt: vt neceſſariò alterum contradictorium verum ſit alterum falſum; ita ſe inuicem eſſentialiter excludunt, vt alterum ſemper maneat. Quod triplici modo eſt intelligendum; primo circa exiſtentiam eiuſdem termini, qui in quæſtionem venit; quod exiſtat, vel non exiſtat: Secundo circa connexionem extremorum contradictoriorum, eſſe, & non eſſe, cum tertio determinato, ſcilicet quod in Petro ſit albedo, vel negatio albedinis. Tertio circa identitatem eorumdem pariter cum aliquo tertio: ſed hoc modo extrema ſumenda ſunt in communi, non in particulari; ſi enim dicas: Petrus vel eſt lapis, vel negatio lapidis; vtrique propoſitioni eſt falſitas; quia Petrus cum neutro extremo eſt identificatus; & neque lapis eſt, neque eſt negatio lapidis, vt patet; ſed poſitiuum, ex quo ſequitur talis negatio. Ratio eſt, quia datur medium inter illa extrema, ens tale, & tale non ens, nempe aliud tale ens excluſiuum formaliter amborum. Ita neque contradictoriè opponuntur: Nullus homo currit; Petrus currit, quia currente Paulo, vtraque propoſitio eſt, vt patet, falſa: mediant enim inter terminum vniuerſalem, & ſingularem determinatum, alij ſingulares, qui poſſunt vtramque propoſitionem falſificare. Quod ſi ſumatur ens communi neceſſariò verificandum eſt de quolibet termino quod ſit aliquod ens, vel oppoſitum non ens à parte rei extra omnem intellectum cooperantem. *Ex Proleg. Metaphyſ.*

2 Ens autem vox eſt valdè ęquiuoca: dicitur enim ens poſſi-

 bile,

De ente poſitiuo reali, et negatiuo. bile, reale, impoſſibile, fictum, poſitiuum, negatiuum; exiſtens; propriè tamen ſignificatens reale poſitiuum ſiue exiſtens, ſiue ſolum poſſibile. Et dicitur quod aptum eſt exiſtere, ſeu poni extra nihil abſque eo, quod vlla ſequatur contradictio in rerum Vniuerſitate; ideſt ens poſitiuum reale eſt vel Deus O. M. vel id, quod poteſt terminare Dei O. M. Omnipotentiam. Neque alio modo ſatis explicatur ratio entis realis poſitiui, prout diſtinguitur à reali negatiuo, ſeu à ſui non eſſe contradictoriè oppoſito; quod in rerum natura nullo fingente intellectu eſt ſuo modo ſine vlla contradictione; vt eſt nunc negatio, ſeu non eſſe Antichriſti ſine vlla chymera. Dari vero ens negatiuum ab omni ente poſitiuo contradiſtinctum patet, quia ab æterno fuerunt negationes omnium rerum poſitiuarum; & quidem contingentes, nam de facto in rerum prima creatione ſublatę ſunt; Ergo quid poſitiuum creatum non erant; quando nihil creatum poſitiuum erant; neq; Deus ſolus erant, quia deſierunt eſſe; Deus autem eſſentialiter ſemper eſt. Veritas verò quædam obiectiua, quam Recentiores admittunt, vt complementum decretorum Dei liberorum, non ſufficit; nam præter hanc aſſignari debet obiectum illorum decretorum, quod ſit vel exiſtentia rei, vel negatio eiuſdem, in quibus fundantur illæ veritates obiectiuæ. Verum enim fuit ab æterno, Mundum hunc futurum, & alterum Mundum non futurum, quia exiſtentia huius, & negatio alterius fuit obiectum liberæ Dei volitionis æternæ. Vt ergo Diuina volitio præter veritatem obiectiuam de exiſtentia Mundi, complementum contingens actus æterni liberi, habet pro obiecto ipſam Mundi exiſtentiam; ita præter veritatem obiectiuam de non exiſtentia alterius Mundi, complementum extrinſecum contingens liberæ nolitionis æternæ, habet Nolitio pro obiecto negationem exiſtentiæ, vt aſſignetur quid ſequatur ex efficaci illa nolitione diſtinctum ab ipſa nolitione. Verum ſi nolitio Dei eſſet formaliter ipſum non eſſe rei, hoc ſanè ſemper melius eſſet ipſo eſſe rei; & præſtaret rem nullam fuiſſe præciſè conſideratam, vt opponitur nolitioni Dei, quæ eſt ſuum non eſſe. Addo quod ſit tranſitus in rerum natura phyſicus extra Deum de non eſſe ad eſſe, & de eſſe ad non eſſe; cum aliquid creatur ex nihilo, vel abit in nihilum ſui; neque ſolum ſit variatio in dictis veritatibus; neque ſit vlla in Deo viciſſitudinis adumbratio.

De Proprietatib. Entis. 3 Attributa entis realis poſitiui ſunt tres Vnitas, Veritas, & Bonitas tranſcendentales perfectiones abſolutæ, quæ intelli-

guntur

guntur manare ab eſſentia entis, quæ dici ſolet prima formalis ratio, per quam res ponitur in determinata ſpecie entis, & diſtinguitur ſaltem radicaliter ab omni, quod non eſt ipſa, cœteræ autem perfectiones, quæ intelliguntur ab illa neceſſariò eſſe, proprietates, ac paſſiones metaphyſicæ dicuntur, ſi ab eſſentia per rationem adæquatè diſtinguantur; attributa verò ſi diſtinguantur inadæquatè, ita ſcilicet, vt in ipſo conceptu proprietatis veniat etiam conceptus eſſentiæ in obliquo, vt fit in conceptu paſſionum entis, quæ vt concipiuntur perfectiones poſitiuæ, neceſſariò etiam in illis concipitur aptitudo exiſtendi ſine contradictione, quæ eſt entis ipſa eſſentia. Explicantur per negationes connotatas, Vnitas per indiuiſionem in ſe; Veritas per indiuiſionem quidditatis, ab eo, quod illam habet; Bonitas per negationem defectus eſſentialis; eò enim ipſo quod aliquid eſt aptum extra nihil poni, & exiſtere, eſt etiam Vnum indiuiſum in plura talia, Petrus v. gr. in plures Petros; eſt verum, ideſt verè tale, quale eius eſſentia exigit; eſt Bonum, cui nil deeſt debitum; eſt enim bonum ex integra cauſa, malum ex ſingulis defectibus. In primis poſitiuis, & abſolutis rationibus fundantur relatiuæ conformitates ad Ideam Diuinam; Intellectum, & Voluntatem. Hæc attributa per quamdam ſimilitudinem dicuntur etiam de ente negatiuo, vt de illo abuſiuè, & ſimilitudinariè dicitur ipſa ratio entis, cuius ſunt metaphyſicæ perfectiones ſecum realiter identificatæ.

4 Ratio formalis obiectiuæ poſſibilitatis entis realis poſitiui explicatur per hoc conditionatum, quod ſi ens intelligatur exiſtere nulla ſequitur contradictio. Hæc poſſibilitas, vt eſt creaturæ eſſentialiter connotat Omnipotentiam, cuius eſſe poteſt terminus; ſic enim ab ente negatiuo poſſibili contradiſtinguitur, quod non poteſt terminare actum Omnipotentiæ. Impoſſibilitas è contra explicatur per hoc aliud conditionatum; quod ſi intelligatur exiſtere; ſecum trahit contradictionem, eſſe, & non eſſe rei; huiuſmodi ens eſt omne illud, quod aliquam imperfectionem in Deo importaret, ſi poneretur exiſtere. Rectius enim fundamus in ipſo Deo omnem poſſibilitatem, & impoſſibilitatem rerum, quatenus in Deo neceſſitas eſſendi omnem perfectionem exigit terminos poſſibiles ſuæ omnipotentiæ; & terminos, illi inferentes imperfectionem aliquam, eſſe impoſſibiles; ita quoque in eius Bonitate radicatur omnis Bonitas moralis, & malitia, quatenus eius ſanctiſſima voluntas vnica regula eſt eſſentialiter recta, ad cuius ſolam conformitatem

De ente poſſibili, et impoſſibili.

quid-

quidquid rectum eſt, bonum eſt; quidquid ab illa deuiat, irrectum, & malum: quod ſi ideò non conformatur, quia infert notam aliquam imperfectionis, vel Gubernationi, vt ſi licitum mendacium eſſet, ac homicidium, vel Bonitati, & Maieſtati, vt ſi odium, & contemptus Dei liceret, dicitur eſſe ab intrinſeco malum; ita etiam ſimpliciter erit, ex ab intrinſeco impoſſibile; quod poſitum in eſſe inferret aliquam in Deo imperfectionem, vt chymera, quæ dicens eſſe, & non eſſe rei, Deum faceret, vel infœlicem, habentem quod nollet, vel non habentem, quod vellet; vel inſipientem puerum idem volentem ſimul, & ſemel, & nolentem idem; ita impoſſibilis creatura limitans Omnipotentiam, faciens Deum æqualem creaturæ, & negans illi eſſe ſummum in qualibet perfectione. Quare ratio formalis poſſibilitatis eſt poſſe terminare actum Omnipotentiæ, quia Deus exigit ex ſua perfectiſſima eſſentia habere hos, non illos terminos à ſe eſſe poſſibiles in eſſe; vt exigit hos, non illos à ſe eſſe volubiles.

De ente Rationis Chymerico.

5 Hoc tamen ens impoſſibile terminare poteſt actum intellectus, & recipere eſſe obiectiuum in illo, & ab illo; & ſecundum hoc eſſe obiectiuè tantum dicitur Ens Rationis Chymericum, ſeu Metaphyſicum. Quod negari non poteſt, quia non aliud eſt aſſignabile falſificatiuum propoſitionis hæreticæ, & neceſſariò falſæ, quam huiuſmodi impoſſibile cognitum, ſeu Ens Rationis. neque enim hæc Arij blaſphemia, quam ipſe eructabat impius: Verbum eſt creatura: ideo hæretica eſt, ideo damnata, ideo neceſſariò falſa, quia intellectus extrinſecè per ſuum actum verſatur circa entitates reales Verbi, & Creaturæ, vniendo vtrumque ſimul quatenus vno actu cognoſcit vtrumque extremum. Sic enim poſſum cognoſcere veriſſimè ſine vlla iniuria Verbo illata, exiſtere creatura, & Verbum, & vnitiuo modo tendere in hæc extrema realia; ſed ideò hæretica, & falſa, quia actus per talem modum tendendi indebitum intrinſecè afficit, extremis prædicatum impoſſibile, nempè Verbo, & creaturæ identitatem inter ſe. Neque Deo vlla infertur iniuria, vt ait quidam ex hoc, quod per illam propoſitionem poſſim compelli in contradictorium; hoc enim eſt iniurioſum menti noſtræ parum ſanæ, conſequens ad prædicatum impoſſibile prædicatum; quod etiam impertatur, licet ſenſus eſſet, vt aliqui volunt; verbum non eſt diſtinctum à creatura; nam idem eſt, ac dicere verbum eſt identificatum cum creatura, vel in Verbo eſt negatio creaturæ; in quo ſenſu ſi vera eſt propoſitio, in Verbo non

eſt

eſt negatio creaturæ identificatæ. Atque ita ſemper vel directè, vel indirectò attingitur prædicatum impoſſibile; cui dans eſſe obiectiuum facis ens rationis, quod inſuper ſi negas, & nolis negare id, quod non apprehendis, aut ignoras; dum negas, cognoſcis, & cognoſcendo facis. Neque dicas ſenſum eſſe affirmatiuum, vt cum negamus dari incognoſcibile, non cognoſcimus incognoſcibile, alioquin propoſitio ſeipſam falſificaret: ſed ſenſus eſt omnia ſunt cognoſcibilia. ita omnia ſunt poſſibilia, quæ cognoſcuntur. Contra enim eſt quia incognoſcibile idem eſt, ac difficilè perceptibile; deinde eſt diſpar ratio, nam dari non poteſt obiectum cognitionis, quod non ſit obiectum cognitionis; at poteſt dari, imo debet, quod non eſt obiectum Omnipotentiæ, obiectum cognitionis; ac proindè impoſſibile cognoſcibile à nobis, per ſpecies tamen alienas, vti dictum eſt in lib. de Anima. Denominationes verò extrinſecæ viſi, ſcibilis, & ſimiles, & ſecundæ intentiones Logicæ prædicati, & ſubiecti in propoſitionibus, non important formaliter neceſſariò ens rationis Logicum. Satis enim intelligitur viſum, ſcitum prædicatum, & ſubiectum, ſi intelligatur ipſa cognitio, & viſio tales formæ denominantes circa ea ſubiecta denominata. Tam per aſſenſum, quam per diſſenſum, tam per actum verum, quam per falſum fieri poteſt ens rationis metaphyſicum, quia fit dum cognoſcitur impoſſibile, & ideo etiam à Deo O. M. indirectè cognoſcendo à nobis factum; & directè diſtinguendo clariſſimè quod eſt impoſſibile ab omni poſſibile, facit ens rationis. Num ab inſipiente interrogatus Deus, an Angelus rugibilis ſit poſſibilis, aut non intelligeret obiectum propoſitionis, aut reſponderet; Neſcio?

5 Oculus, & ſenſus externus facit ens proportionatum enti rationis ſecundum quid, habens tantum eſſe obiectiuum in ipſo ſenſu poteſt enim ſenſus circa ſenſibile commune, & proprium in particulari falli: Ita ſolis ſtatio ſe mouentis, curuitas remi recti in aqua in ſenſu compoſito cum motu, & cum rectitudine, eſt aliquod impoſſibile, habens tantum eſſe obiectiuum in oculo. Neque obſtat quod taliter ſit repræſentabile obiectum per ſpecies ſuas in talibus circumſtantijs: Nam etiam ens rationis ſecundum quid eſt ſic cognoſcibile ab intellectu. Deinde remus curuus videtur, non ſpecies curua, quæ ſe tenet ex parte efficientis cauſæ, non obiectiuæ, & formalis. Phantaſia verò & ſenſus internus poteſt facere ens proportionatum enti rationis etiam ſimpliciter, ſic tamen poteſt coniungere

De ente rationis proportionali.

iungere

iungere ſimul extrema à ſenſibus non ſenſata; vtens ſpeciebus ſimplicibus ad copulandas res impoſſibiles, quod accidere videtur, cum canis pro hero blanditur ſtatuæ, cum ille Aeſopicus in fluminis tranſitu vmbram carnis pro carne iudicauit; cum Bucephalus hinnijt ad præſentiam equipicti, & Aues ad vuas zeuſidis aduolarunt. Voluntas vero in Homine, & Appetitus in Brutis nullum faciunt ens rationis proportionale; quia hæ potentiæ tendunt in ſuum obiectum modo non actiuo, & effectiuo, dante eſſe obiecto, ſed ſolum affectiuo, & paſſiuo motæ ab ipſo obiecto, quod præſupponunt ſecundum totum illud eſſe, ſecundum quod mouent, trahunt, ac terminant actus illarum: licet appetere poſſint impoſſibile propoſitum à potentia cognoſcente, vt creditur Lucifer appetijſſe Diuinitatem.

De exiſtentia, & eſſentia. 7 Ens poſſibile idem eſt realiter, & formaliter ex natura rei, ac ſit ens exiſtens, quando exiſtit: niſi velis exiſtere, quod non erat poſſibile exiſtere; atq; ita neque exiſtētia, quæ poſſibilis erat, ipſa exiſtet, vel dum exiſtet non erit ipſa. Neque eſſentia rei poſſibilis ab exiſtentia ſua diſtinguitur, niſi per rationem ratiocinatam, quatenus Eſſentia dicitur eadem res ſub ratione, qua primò conſtituitur res talis, & ab omni alia, quæ non eſt ipſa diſtinguitur, & à qua, vt à prima radice intelliguntur fluere cœtera omnia, quæ tale rei conueniunt. Exiſtentia verò dicitur, quatenus conſideratur eadem res, vt eſt extra ſuas cauſas, quæ ratio actu experimentali nota magis explicari non poteſt: experimur enim nos eſſe extra nihil, & abſolutè exiſtere, et videmus res nouas incipere eſſe, & plures eſſe deſinere. Cum ergo exiſtentia ſit ratio per quam formaliter Eſſentia ponitur extra ſuum contradictorium, nempe extra nihil, cui non niſi per ſuum formale eſſe ſic poteſt opponi, non poteſt eſſe aliquid ab Eſſentia diſtinctum. Addo quod ipſa exiſtentia habet ſuam eſſentiam; nunquid ergo hæc exiſtit per aliam exiſtentiam, & ſic deinceps? Dicitur autem Eſſentia æterna, & neceſſaria in hoc ſenſu; quatenus res illa ſecundum prædicata eſſentialia ſi ab æterno fuiſſet, non alijs prædicatis potuiſſet eſſe, quam illis quæ habet in tempore exiſtens. Cœterum omnis eſſentia creata, & exiſtentia eſt phyſicè, & realiter contingens, & temporanea, & ad eſſe, & non eſſe dicitur habere potentiam logicam, quæ eſt ipſa contingentia eſſendi.

De diuiſione Entis. 8 Ens rectè diuiditur tam in ens à ſe, ſeu Increatum, & ens ab alio, ſeu Creatum, quam in Ens per ſe, ſeu ſubſtantiam, & ens in alio, ſeu Accidens. Differentialis Perſeitas ſubſtantiæ

dicit

dicit formaliter eſſe ens per ſe primo intentum à natura, vel conſtituens huiuſmodi ens per ſe, ſeu propter aliud adæquatè diſtinctum, in quo ſit. Inaleitas verò accidentis dicit eſſe ſubſtantialis entis ens, ſeu intentum propter aliud, adæquatè à ſe diſtinctum, in quo ſit, tamquam in ſubiecto inhæſionis, cum quo non facit vnum tale per ſe.

9 Diuiditur etiam ſubſtantia ſecundum diuerſum ſuum ſtatum in Primam, & ſecundam. Prima accipitur in ſtatu reali, & dicitur Indiuiduum, quod à D. Thom. rectè deſcribitur: quod eſt indiuiduum in ſe, & diuiſum à quolibet alio excludens diuiſibilitatem in plura; quæ ſint idem adæquatè cum ipſo. ita nec aceruus lapidum, nec collectio animalium eſt vnum indiuiduum, ſed plura ſimul, vt etiam ſpecies numeri quinarij plures ſunt vnitates, quia poſſunt diuidi in plura, quæ adæquatè ſint idem in ratione eadem Lapidis, Animalis, Vnitatis, &c. At palmus vnum indiuiduum, non poteſt diuidi in plures palmos, nec Petrus in plures Petros. Deſcribitur etiam à Porphyrio indiuiduum: id cuius collectio proprietatum in nullo alio eſt. Subſtantia ſecunda ſumitur in ſtatu intentionali, vt ſubſtat noſtris conceptibus, & apprehenſionibus ſecundum quas dicitur Vniuerſalis, & prædicabilis de prima; vnde ab Ariſtotele definitur: quæ de ſubiecto dicitur, & in ſubiecto non eſt; vt ab eodem definitur prima; quæ neque de ſubiecto dicitur; neque in ſubiecto eſt.

10 Sufficienter, & vtiliter in ordine ad varias prædicationes, quæ habentur de prima ſubſtantia facta eſt à Philoſopho illa celebris diuiſio entis in Decem prædicamenta, ſeu decem categorias, ac ſeries generum, ac ſpecierum; ſeu prædicatorum eſſentialium, ſub vno ſummo genere, quod dicitur Genus Prædicamenti. Hæc autem ſumma genera ſunt Subſtantia, Qualitas, Quantitas, Relatio, Actio, Paſſio, Vbi, Situs, Quando, Habere; pro multiplici interrogatione, quæ fieri de ſubſtantia prima commodè poteſt; quid ſit eſſentia, & ſubſtancia? quanta ſit res, longa an lata? qualis ſit, frigida, an calida? quomodo ſe habeat in ordine ad aliud, an ſimilis, an diſſimilis? quid agat, quid patiatur? Vbinam ſit? quo ſitu maneat? quo in tempore? & quomodo circa indumenta ſe habeat. *De Decem Prædicamentis.*

11 A parte rei non exiſtunt niſi ſingularia; quæ pro vt ſimilia ſunt inter ſe vel diſſimilia in prædicatis eſſentialibus intellectus fundamentum habet illa cognoſcendi vnico actu confundente illa ſimul; & indiſtinguente, ita vt ex vi vitalis actus ne- *De Ente ſingulari, & vniuerſali.*

nequeat diſcrimen, quod eſt in re, diſcernere, & poſſit vnum pro altero accipere equum pro homine, Petrum pro Paulo, vt ſi à longe videatur aliquid moueri. Hæc plura ſingularia ſub tali actu per modum vnius obiecti cognita dicuntur vnum vniuerſale, vel genericum, vel ſpecificum, prout in re magis, aut minus conueniunt, & præciſio formalis, ſeu confuſio actus à pluribus, aut à paucioribus differentijs abſtrahit; ſi enim ſolum à ſingularizantibus circumſtantijs, & indiuiduantibus præſcindit, erit ſpecies, ſi à prædicatis etiam eſſentialibus v. gr. ab hinnibilitate, rugibilitate, erit Genus.

De quinque Prædicabilibus.

12 Atque ita conſtituuntur quinque illa vulgata prædicabilia Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens; deſumpta diuiſione ex quinque modis, quibus vnum poteſt ineſſe pluribus, & prædicari de illis, ſcilicet vel eſſentialiter, vt pars eſſentiæ materialis, & indifferentis metaphyſicè, & eſt Genus; quod definitur: prædicabile de pluribus differentibus ſpecie in quid incompletè: vel vt pars eſſentiæ formalis, & determinantis, & eſt Differentia; quæ dicitur prædicabilis de pluribus in quale quid: vel vt tota eſſentia, & habetur ſpecies prædicabilis in quid completè de pluribus differentibus numero; vel vt quid extra eſſentiam; atque hoc vel neceſſariò connexum cum illa, & eſt Accidens Proprium; quod deſcribitur, prædicabile de pluribus in quale neceſſariò; vel ſolum contingenter exiſtens in ſuo ſubiecto, & dicitur Accidens commune prædicabile de pluribus in quale contingenter, quod poteſt eſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem, vt ait Porphyrius.

De Vniuerſali in communi,

13 Vniuerſale in communi dicitur vnum aptum eſſe in pluribus per ſui multiplicationem, & prædicari de illis in ea ratione, in qua eſt vnum. Vnde patet ex ipſis terminis naturam huiuſmodi eſſe Chymeram. Vnitas enim dicit indiuiſionem in ſe, multiplicitas verò diuiſionem; neque ſatis eſt quæcumque Vnitas, & multiplicitas, nam Diuina Natura eſt in tribus perſonis Vna, ſed non vniuerſalis, quia eadem eſt in illis immultiplicata in ratione Naturæ, in qua eſt vna; ita neque Chriſtus Dominus in pluribus hoſtijs conſecratis eſt Vniuerſalis. Dicere autem in indiuiduis humanis eſſe Naturam vnam vnitate ſpecifica cum multiplicitate numerica indiuiduorum, eſt vel dicere Chymeram; quod vna formalitas ſit identificata cum pluribus diſtinctis, ac diuerſis; quorum vnum exiſtit alterum non, vnum corrumpitur, aliud de nouo generatur; vel eſt petere principium, & ſupponere dari ſpeciem, non probare;

vnitas

vnitas enim ſpeciei ſupponit ſpeciem. Species autem ſine vnitate non intelligitur formaliter eſſe. Igitur ſolum per intellectum datur formaliter Natura vniuerſalis generica, & ſpecifica, prout indiuidua, à quibus fit formalis abſtractio, & præciſio extrinſeca, in re conueniunt in omni prædicato eſſentiali; aut ſolum in aliquibus: Ex indiuiduis enim ſimilibus multiplicatis, v.g. hominibus tanquam ex materia, & ex actu præciſiuo, ſeu confuſo tamquam formali vnitate vniuerſalis fit concretum, quod dicitur vniuerſale, vnum extrinſecè, aptum eſse re vera in pluribus per ſui multiplicationem, ac proinde prædicari de illis: neque alio modo fieri poteſt vniuerſale. quod vt eſt quoddam totum in ſui diuiſione amittit totalitatem; & vniuerſalitatem. Diuiditur autem dum prædicatur actu; ſic enim per actum clarum contrahitur ad ſingulare inferius, à quo proinde non præſcindit. Sed neque poteſt vera prædicatione prædicari, niſi id, quod importatur in recto identificatum cum ſubiecto, quod certè non eſt vniuerſale formaliter, licet materialiter idem terminus adhibeatur, & dum fit vniuerſale, & totum per apprehenſionem præciſiuam, & dum per iudicium enunciatiuum diuiditur, & ad inferiora contrahitur.

De Præciſione obiectiua, & Diſtinctione virtuali.

14 Inter has genericas, & ſpecificas rationes metaphyſicas non datur præciſio obiectiua, neque diſtinctio virtualis obiecto intrinſeca, ita vt vna ratio ex parte obiecti attingi poſſit, altera non: facta per actum intellectus actuali diſtinctione in obiecto in ordine ad ſaluandas propoſitiones contradictorias extrinſecas; quod cognoſcatur generica ratio v.g. animalitas, non cognoſcatur differentialis rationalitas, licet ſint in re vna realitas, & vna eademque formalitas. Tam enim eſt vera contradictio, quod producatur eadem res, & non producatur, quam quod cognoſcatur; & non cognoſcatur: at beneficio talis diſtinctionis virtualis, neque per aduerſarios, ſaluari poteſt prima contradictio, ergo neque ſecunda; at ſi actio phyſica cauſæ efficientis penetrans rationes obiecti non poteſt illud diuidere in plures virtualitates, id ne poterit actio intellectus intentionalis? quod ſi tales virtualitates ſunt actu diſtinguibiles; ergo etiam ante actionem intellectus vna virtualitas non eſt alia, & vt ab alia diſtincta, eſt ens; ergo totum obiectum non ex virtualitatibus, ſed ex entitatibus componitur. Huiuſmodi diſtinctio virtualis intrinſeca ſolet à Theologis in Deo ſimpliciſſima entitate admitti inter perfectiones relatiuas, & Naturam, ſeu Eſſentiam Dei, quæ communicatur, illis minimè communicatis; ſed pro fundamento

aſſignatur abundantia omnis perfectionis. Nunquid in rerum finitarum imperfectiſſimam naturam inducendum eſt Myſterium Trinitatis perfectiſſimæ, & infinitæ?

De diſtinctione formal ex natura rei.

15 Negamus etiam inter has metaphyſicas rationes intercedere diſtinctionem formalem Scoticam ex natura rei; quia huiuſmodi formalitates admiſſæ diſtinguerentur realiter, à qua ſolum diuerſa hæc eſſet penes terminos, & extrema diſtincta, ſeu quia hæc inter formalitates, illa inter realitates intercederet: quæ differentia ſi ſufficeret alia poſſet poni diſtinctio inter accidentia, alia inter ſubſtantias, alia inter res ſpirituales, alia inter corporeas; quæ negari poſſent reales. Sed nque hoc diſcrimen adeſt nam formalitas, vt talis, vel eſt ens, vel non ens; à parte rei enim in ſtatu independenti ab intellectu non datur medium: ſi non ens, ergo res conflata ex formalitatibus componitur ex non entibus; ſi ens, ergo intercedit diſtinctio inter entitates, ergo realis. Verum ſufficit diſtinctio per intellectum extrinſeca obiecto ad ſaluandas propoſitiones diuerſas, & oppoſitas, pro quibus admittitur diſtinctio formalis. accipio enim radicem harum formalitatum, vel vnam formalitatem præciſè; et hanc conſidero in ordine ad ſuam radicem, et ad aliam conformalitatem, et de illa habeo diuerſas propoſitiones, et oppoſitas, quod ſcilicet prout à radice, ſit formalitas fluens, prout ad conformalitatem, non fluat: Ecce quod per diſtinctionem meram rationis verificantur propoſitiones dictæ. Si autem ſemel hoc fit, cur non ſemper? Neque dicas non poſſe accipi vnam formalitatem cum diuerſo illo reſpectu, quin in ipſa formalitate aliæ, et aliæ accipiantur; nam et admittis Myſterium Ezechielis rotam in rota, ſine fine; et gratis id negas; quia illa eadem, quæ comparatur ad vnum terminum, ſiue ſit comparabilis ad alium, ſiue non, habeo intentum, cum de eadem ſic poſſim habere propoſitiones diuerſas, et definitiones plures, ac conceptibilitates ſine diſtinctione formali. Deinde cur eadem vna formalitas duplici actu non poſſum cognoſcere? tunc eadem, vt cognita actu A, non eſt cognita actu B. et ſaluantur oppoſitæ propoſitiones ſine diſtinctione formali per ſolam diſtinctionem rationis, quam admittunt ipſi formaliſtæ inter definitionem, ac definitum, licet inter talia extrema inuenire poſſint fundamenta ſuæ diſtinctionis formalis. Sed mirum eſt quod ſine diſtinctione reali in creatis vna formalitas verè ſit de altera negabilis, Et in Diuinis vna Perſona non ſit negabilis de altera niſi beneficio diſtinctionis realis. Verum relatiua oppo-

ſitio

ſitio diſtinctionem realem in Deo importat; cur etiam in homine eamdem non affert oppoſitio relatiua actus, et potentiæ inter rationalitatem, et animalitatem.

De Diſtinctione rationis ratiocinatæ.

16 Igitur ſufficit diſtinctio rationis inter gradus, et rationes metaphyſicas realiter identificatas in vno eodemque indiuiduo, quæ quia eſt cum fundamento in re, nempe ex præſuppoſita obiecti perfectione multiplici, dicitur diſtinctio rationis ratiocinatæ, quæ eſt realis diſtinctio actuum intellectus imperfectorum circa idem obiectum, cuius perfectionem non adęquant: Et idem obiectum ſub vna huiuſmodi imperfecta noſtra apprehenſione euadit vna formalitas obiectiua, ſeu vnum obiectum formale ſub particulari denominatione, ac peculiari nomine notatum, ſub alia imperfecta apprehenſione fit alia formalitas; et aliud obiectum formale, et appellatur alio nomine: atque ita idem multiplicatur in plura multiplicatione extrinſeca actuum circa ſe. et quoniam nos non habemus iudicia, et enunciationes, niſi de obiecto prius apprehenſo, hinc eſt, quod cum multiplicitor apprehendatur, et verè; quia ad veritatem ſatis eſt, vt obiectum ſit tale, quale apprehenditur; licet ſit etiam perfectius; verè etiam, et multiplicitor de illo habemus; et enunciationes, et definitiones etiam oppoſitas. In via enim ob imperfectionem noſtri intellectus, vt ſubtiliter notat P. Vaſquez p.p.d.120.cap.6. nu. 26. non poſſumus, niſi pluribus conceptibus, ac nominibus attingere rem aliquam, et eò pluribus, quo perfectior eſt; cum erimus in termino Beati, rem, vt eſt, intuentes, vno verbo mentis, et oris rem totam exponemus ſine vlla enunciationum multiplicitate.

17 Quare hic imperfectè cognoſcentes non poſſumus in quęſtionibus vnquam præſcindere ab omni operatione intellectus, & diſputare de re præcisè, vt eſt à parte rei primò intentionaliter accepta; nam ſemper dum in quæſtionem adducitur ſub aliqua voce profertur, ſub qua veſtitur aliqua imperfecta, & inadęquata noſtra apprehenſione. Verum multiplicantur actus noſtri, tum ex multiplicitate obliquorum ſe tenentium ex parte obiecti directi, ſiue hæc ſint realia, ſiue conditionata, ſiue negatiua, ſiue etiam impoſſibilia; ita à doctiſſimo Suarez, & alijs Theologis explicatur illapſus Spiritus Sancti per gratiam in animam iuſti per conditionatum impoſſibile ſic: ſi per impoſſibile Spiritus Sanctus per ſuam immenſitatem vbique non eſſet, fieret pręſens iuſto per gratiam receptam. In quo ſenſu facile explicari poſſunt etiam propoſitiones illæ; intellectus diſcurrit,

non amat, animal ſentit, non diſcurrit. Licet idem ſint realiter, & intellectus intelligens, & voluntas amans; animal ſentiens, & rationale diſcurrens; ſenſus enim eſt ſi per impoſſibile intellectus, & Voluntas, rationale, & animal in homine realiter eſſent diſtincta, intellectus intelligeret, non voluntas, hæc amaret non ille. Rationale diſcurreret, non animal; hoc ſentiret, non illud.

18 Inter præcipua obliqua ſunt operationes, & effectus diuerſi, quorum poteſt idem eſſe principium. ita homo conceptus in ordine ad ratiocinationes eſt rationalis, in ordine ad ſenſationes eſt animal; vnde fermè ſemper ex diuerſo obliquo diuerſificantur actus circa idem directum obiectum; & actus cum obliquo v.g. ratiocinationum dicitur proprius, & clarus actus rationalis, cum obliquo ſenſationum dicitur proprius, & clarus animalis; & ſic de reliquis. Ex quo etiam ſequitur quod tale obiectum directum ſub tali conceptu, & tali nomine dicatur ſimilis, & ſub alio eidem diſſimilis, ita homo diſſimilis equo, vt rationalis, ſimilis, vt animal; quia poteſt etiam equus venire ſub eodem conceptu, & ſub eadem denominatione, ſub qua ita venit homo, vt ſi quis intentionaliter poſſet auferre hominem obiectum talis actus, & loco ipſius ſupponere pro obiecto equum, actus ille non diſcerneret variationem, neq; diſcrimen obiectorum; eo modo, quo ſi quis Præſtigiator ouum pro ouo mira dexteritate permutet, oculus non percipit diſcrimen.

19 A parte rei verò equum, & hominem dic ſimiles ſimilitudine imperfecta, vel diſſimiles imperfecta diſſimilitudine, vt lubet, pro diuerſo reſpectu, vt eadem tabula geographica dicitur perfecta deſcriptio Italiæ, & imperfecta Ducatus Parmenſis. Propter has imperfecta ſimilitudines, vel diſſimilitudines inter res indiuiſibilis eſſentiæ habet intellectus poſſe plurâ ſimul confundere; & vnum in recto pro directo obiecto actus ſibi aſſumere, v. gr. Petrum, & modo plura, modo pauciora ſimilia obliqua cum illo confundere, & ſic attingere idem per plures actus diuerſos ex diuerſis obliquis; ita si concipio Petrum in recto cum reliquis hominibus in obliquo, habeo actum de Petro, vt homo eſt: idem ſimul cum omnibus animantibus exprimitur, vt animal, & ſic deinceps; addendo plura alia, cum quibus habet latiorem conuenientiam, vſque ad rationem entis, in qua conuenit cum omni re non implicante exiſtere.

20 Verum poſſunt etiam actus diuerſificari ab intrinſeco per diuerſam, & propriam claritatem maiorem, & minorem

circa

circa idem obiectum directum. & obliquum certè enim videnc. Deus, Angelus, et homo eamdem penitus rem ſub eadem formali ratione actibus diuerſis per meram diuerſam claritatem, ac perfectionem actuum intrinſecam. Claritas autem eſt prædicatum de ſe notum: pueri enim ſciunt ſe aliquid clarè cognoſcere; aliquid non. Explicari poteſt per hoc, quod maior claritas ſit principium deducendi plures veritates, et illationes ex illa, et maioris gaudij, et amoris circa cognitum obiectum. Inſuper actus diuerſi ſunt ex diuerſo modo tendendi circa idem obiectum. Ita actus quo cognoſco ſub termino concreto hominem, eſt diuerſus ab actu, quo illum cognoſco ſub abſtracto humanitatis. diuerſus eſt actus, quo dico me vidiſſe Petrum, et Paulum ab illo, quo dico vidiſſe Petrum cum Paulo, vel Petrum, aut Paulum. Atque tota Philoſophia inter homines pendet ex varijs terminorum acceptionibus, et conceptibus noſtris, quibus eadem res variè veſtita, vt hiſtrio pluries in ſcenam venit plures agens perſonas.

21 Eſt autem Diſtinctio negatio identitatis inter duo extrema poſitiua; ita vt diſtinctum ſit concretum ex poſitiuo, et negatione prædicta. Neque enim ſine negatione intelliges inter animal, et rationale eſſe diſtinctionem: de ſe enim poſitiua ratio v. gr. animalitas eſt indifferens vt ſit cum identitate rationalitatis, aut cum diſtinctione; identificatur enim in homine; diſtinguitur verò in Bruto, Et cum identitas, et diſtinctio, ſeu non identitas ſint rationes contradictoriè oppoſitæ, vt identitas eſt ratio poſitiua ita diſtinctio debet eſſe negatio. Alia verò eſt diſtinctio realis à parte rei independenter ab omni intellectu, vel adæquata, vel inadæquata vt eſt inter partem, & totum, hominem ſcilicet, & corpus. Alia Rationis prædicta, quæ eſt realis inter actus diſtinguentes, ſed obiecto extrinſeca in ordine ad diuerſas, vel oppoſitas enunciationes, ac plures inadæquatas definitiones, atque hæc etiam eſt vel adæquata, cum duo conceptus tales ſunt, vt alter non inuoluatur in altero; vel inadæquata cum inuoluitur, vt conceptus entis in conceptu proprietatis.

De Diſtinctione in communi.

22 Præter has ſpecies diſtinctionis omnes alias ſaltem vt ſuperfluas reijcio in creatis, & virtualem obiectiuam, & formalem ex natura rei, & Modalem inter rem indifferentem & modum, qui intrinſecè tollat indifferentiam; inter ſcilicet potentiam, ſeu actum primum, & actum ſecundum contingentem. Nam hæc indifferentia tolli poteſt ab extrinſeco, vt ſuis locis oſtenſum eſt.

De Diſtinctione Modali.

eſt. Et hic quæro cur aureus indifferens vt ſit in hoc loco, vel in illo, vt cudatur in hac vel illa die, ſi Artifex nunc ſe determinat illum cudere, ſi manu eum ego hic ſtatuo implicante etiam modalitate durationis, & vbicationis, non erit determinatus ſufficienter ab extrinſeco? Ipſe quoque modus, vt eſt contingens, determinatur ad exiſtentiam ab efficiente extrinſeca, circumſtantijs cauſæ, & Deo gubernante. Et eadem actio modalis indifferens, vt ſit conuerſio, aut mutatio, aut ſimplex eductio, prout vel terminus à quo poſitiuus, vel priuatiuus, vel nullus præcedit, ab extrinſeco determinatur. Sed ex meis principijs modalis entitas vt eſſentialiter alligata ſubiecto, loco, & tempori eximens ſe à dominio Dei abſoluto, vt videtur iniurioſa Deo eſt eminus reijcienda.

De Relatione. 23 Inter rationes metaphyſicas aliæ dicuntur abſolutæ ab extrinſeco, aliæ relatiuæ, & cum extrinſeco connexæ. Sentio enim omnem relationem quæ rectè dicitur ordo, ſeu reſpectus vnius ad aliud, eſſe adæquatè identificatam cum ſuo fundamento proximo, terminum verò eſſentialiter requiri, vt quid ad eſſentiam relatiui, non de eſſentia. De eſſentia autem alicuius rei metaphyſica intelligo genus, et differentiam, phyſica verò materiam et formam, cœtera omnia; quæ requiruntur neceſſariò ad hoc, vt res ſit, voco ad eſſentiam, ſeu eſſentialiter requiſita, quæ in recto non poſſunt venire in definitione rei. Ita neque tempus veſpertinum eſt ad eſsentiam cœnæ, non de eſsentia. dicitur enim cœna: comeſtio tempore veſpertino facta: non dicitur vnquam tempus veſpertinum cum comeſtione. Ita equus eſt ad eſsentiam equitis, non de eſsentia; neq; enim eques eſt homo, et equus ait D. Auguſt. 19 de Ciu. c. 4. ſed homo cum habitudine ad equum: ita quoque terminus relationis ad eſsentiam relatiui ſpectat, non eſt de eſsentia. Simile enim non eſt album A, et album B. hic enim eſt conceptus duorum abſolutorum, ſed eſt Album A, ad Album B. Eſt autem denominatio ſimilis, et concretum ſimile ens tale dicens de eſsentia ſua fundamentum cum ratione fundandi, et relationem ſimilitudinis, termino extrinſecè connotato; ad cuius variationem ceſsat eſse hoc totum relatiuum; bonum enim ex integra cauſa, malum verò ex ſingulis defectibus. Quod verò ex variatione extrinſeci denominationes formales intrinſecæ varientur nulla facta intrinſeca mutatione, probatur ex eo quod forma denominans eſt eſsentialiter alligata cum extrinſeco ad faciendum ſuum effectum formalem primarium, neque de ſe ad illum ſufficit, ſed requi-

requirit terminum, vt requiſitum neceſſarium. Ita ſcientia viſionis de exiſtentibus, et liberum decretum, et dominium actuale Dei in ſuas creaturas variatur ex mera variatione extrinſeca creaturæ contingentis, et nulla habetur in Deo viciſſitudinis obumbratio. Illud verò principium quod circumfertur: eſſe id de eſſentia alicuius rei, quo ſublato ſolo res tollitur, vel quo poſito ſolo res ponitur, niſi addatur primò, et formaliter ponitur res, aut tollitur, eſt falſum: nam ſublata ſola proprietate, et ſolo termino in relationibus tranſcendentalibus, aut ſolo poſito, ponitur res, ac relatio, aut tollitur, conſequenter tamen, non primò, et formaliter; neque proprietas eſt pars eſſentiæ rei, neque terminus relationis. Per Ly autem, ſolum, non excluduntur duo termini, de quibus eſt quæſtio, ſed cæteri omnes alij: alioqui ridicula eſſet quæſtio. Non igitur terminus eſt de eſſentia relationis, alioquin relatio non ad aliud, ſed ad ſe ipſam ſaltem inadæquatè faceret fundamentum referre; et in ſententia communi extrinſecè terminus poteſt pertinere ad eſſentiam relationis, vt omnes fatentur de relationibus tranſcendentalibus.

24 Eſt enim Relatio alia tranſcendentalis, quæ tranſcendit, ac vagatur per plura prædicamenta, alia prædicamentalis, quæ conſtituit peculiare prædicamentum ad Aliquid. Hæc verò reſpicit terminum vt pure terminum, & vt abſolutum præcisè, vt aptum terminare. Illa verò circa terminum ſuum aliquid aliud facit. Relationes aliquæ dicuntur Mutuæ, & fundantur, vel in vnitate, ſeu conuenientia, & numero, ſeu diſconuenientia; vel in actione, & paſſione, aliæ non mutuæ fundatæ in menſura; aliæ dicuntur æquiparantiæ, ſeu eiuſdem appellationis, vt duæ ſimilitudines, & æqualitates, aliæ diſquiparantiæ, ſeu diuerſæ denominationis, vt maioritatis, & minoritatis, paternitatis, ac filiationis. Aliæ ſecundum eſſe, quæ ſunt prædictæ verò ad aliud, aliæ ſecundum dici, quæ non ſunt ad aliud, & conſtituunt habens prædicatum ad quodleitatis, non adaleitatis: ideſt faciunt id, ad quod aliud refertur, non id, quod referatur ad aliud, vt eſt ſcibile ad quod ſcientia; atque hoc propriè dicitur ens connotatiuum non relatiuum; & ratio abſtracta dicitur connotatio, non Relatio.

25 Ratio entis, vt dicit præcisè aptitudinem ad exiſtendum ſeu eſſendum extra nihil videtur eſſe vniuoca Deo, & Creaturis; Subſtantiæ, & Accidenti. ſub vno enim nomine eadem conuenit omnibus inferioribus abſque eo quod appareat in actu præ- *De Vniuocatione entis.*

ſcin-

ſcindente vllum diſcrimen ; & ſe habet vt ratio animalis generica reſpectu ſuorum inferiorum. Ab ipſa quoque ratione entis præſcindunt differentiæ aſſeitatis, abaleitatis, perſeitatis, & inaleitatis, vt præſcindunt ab animalitate rationalitas, & rugibilitas, quæ in ſuo conceptu nullo modo illam inuoluunt; neque enim ex vi actus quo concipio præcisè v. gr. aſſeitatem, certificor eſſe ens poſſibile, ſed adhuc dubius eſſe poſſum an obiectum actus ſit chymericum; vniuoca autem dicuntur quorum nomen commune ratio ſubſtantiæ eadem; ſcilicet quidquid importatur per ſignificationem nominis, id totum ab omnibus inferioribus, & eodem modo participatur. Analoga verò quorum nomen commune, ratio importata per nomen partim eadem, partim diuerſa, ideſt quod aliquid ex pluribus ſignificatis conuenit omnibus, aliquid non, vel non eodem modo; vt ſanus importans in omnibus habitudinem ad ſanitatem, ſed in ſingulis diuerſam, ſubiecti quidem in homine, ſigni in pulſu, cauſæ in cibo, & aëre. Aequiuoca dicuntur; quorum nomen commune ratio importata per nomen omnino diuerſa: ideſt quod plura ſimul ſignificentur, quorum vnum vni, alterum alteri ex inferioribus tribuatur; ita canis ſignificat ſimul animal latrabile, aſtrum, et piſcem.

Iam verò Philoſophicis hiſce MARGARITIS pretioſam illam, quam Negotiator Euangelicus ſolertiſſimè conquiſitam inuenit, rectè philoſophantes cæleſtis in pretium Regni, vt comparemus faxit Deus Optimus, et Conditor Maximus cui cum Deipara Virgine SS. Ignatio, Franciſco Xauerio, et omnium Beatorum cœtu ſit honor, et gloria in ęternum, et vltra.

Iam verò Philoſophicis hiſce MARGARITIS pretioſam illam, quam Negotiator Euangelicus ſolertiſſimè conquiſitam inuenit, rectè philoſophantes cæleſtis in pretium Regni, vt comparemus faxit Deus Optimus, & Conditor Maximus cui cum Deipara Virgine SS. Ignatio, Franciſco Xauerio, & omnium Beatorum cœtu ſit honor, gloria in æternum, & vltra.

F I N I S.

ROMAE, Typis HH. Corbelletti MCDLVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google